





DE IESU-CHRISTI ECCLESIA
TRACTATUS.
PARS SECUNDA,
CONTINENS EIUS
ICHNOGRAPHIAM.



FELICIS AMAT

Archiepiscopi Palmyreni,

AD CIVILIUM ET RELIGIOSARUM OMNIUM SOCIETATUM PROCURATORES, INTRA PALMYRÆ RUINAS CONGREGATOS,

MEDITATIONES:

Quibus impium Volneii super illis ruinis commentum funditùs evertitur, atque ad Christianæ Religionis veritatem ope luminis naturalis aditus aperitur.

OPUS POSTHUMUM LATINÈ REDDITUM,


Ichnographiae Eccles. Iesuchristi

EIUSDEM CLARISSIMI AUCTORIS,
PII VERIQUE PHILOSOPHI, PRÆLUDII LOCO HABENDUM,
ET EX TESTAMENTO IPSIUS EVULGATUM
A
FELICE TORRES AMAT, ECCL. BARCINON. SACRISTA.



BARCINONE:
TYPIS J. VERDAGUER.
1833.
Superiorum permissu.

INDEX.



PRÆFATIO.

1 PRIUSQUAM primæ istarum *Meditationum* parti finis imponatur, apparebit iam quàm meritò *somnium* appelletur Volneii philosophi scriptum, quod tantâ apud impios homines celebritate insigne reddidit viatoris istius nomen; qui vel in Syriæ solitudine in id studium omne suum tam phreneticâ contentione conferebat, ut incredulitatem et populare regimen in suà patrià stabiliret, aut omnia Iesu-Christi altaria Regumque thronos omnes, priùs in illâ, deinde verò istius exemplo atque subsidiis in Europâ universâ sus deque convelleret. Nunc verò satis erit ea quæ in præcipuis nefarii sui operis capitibus scripsit, in summam redigere: neque enim aliud opus est ut benè morati homines facili negotio noverint, non id sibi auctorem in eo libro proposuisse ut theoricam aliquam veritatem, aut axioma practicum singulorum hominum utilitati aut optimæ populorum familiarumque concordiæ et prosperitati accommodatum, investigaret, ostenderet, suaderet. Contrà verò libellus ille totus eò collineare videtur, ut physicarum moraliumque veritatum evidentiam obscuret atque confundat, inscitiam

foveat, et quidquid recta hominis ratio gesserit, quidquid eidem ad pravos animi affectus, violentosque effrenium motuum impetus coërcendos, temperandos, corrigendosque vires addiderit, despectioni subiiciat.

2 In duobus primis capitibus, pulcherrimis quidem coloribus eum depingit statum, in quo eremum illam et vastas solitudines, famosasque *Palmyræ* ruinas invenit. Civitatis istius commercio deditæ opulentiam observat in horridum squalorem conversam, in ferarum antra Regum palatia, in immundorum anguium domicilia deorum templa. *En quomodò tandem pereunt,* prosequitur, *mortalium opera, suoque à culmine ruunt imperia et nationes!* Continuò verò quamplurimos memorat celebres populos qui deserta loca illa incoluerunt; Damasci nempè, Idumææ, Hierosolymæ, Samariæ Imperia, bellicosas Philistæorum gentes, et negotiationi studentes Phœniciorum Respublicas. *Desolatam*, inquit, *hanc regionem peragravi, nihilque in ipsâ inveni aliud præter vastitatem et solitudinem. Proh Deus immortalis! Quid quæso rei est cur tam funestæ eversiones acciderint?* Deinde verò statim animadvertit, perbeatè vixisse regionis illius incolas, cùm scilicet humanas victimas diis mactarent Phœnicii, se se ante draconem Chaldæi prosternerent, et ignem Persæ divinis honoribus prosequerentur. Nunc verò cùm hìc idem terrarum tractus à Mahometi sectatore, Christiano, atque Iudæo, populis nempè credulis, incolitur; in eo quidem multâ cum anxietate ho-

mo semina terræ committit, nihilque aliud præter lacrymas metit atque angustias, ingruentia scilicet undique mala, bellum, famem, pestilensque contagium. Tunc sibi in memoriam rediit patria sua Gallia, quam cum rebus omnibus, agrorum cultu et ubertate, viarum amplitudine, civitatum opulentiâ, commercii magnitudine, navigationis celeritate, monumentorum glorià, artium, industriæque progressu florentissimam reliquisset; futurum esse verebatur ne sicut in Asià contigerat, ita etiam in Europà populorum splendor omnis atque prosperitas in squalorem et solitudinem verterentur. ¡*O infelicem hominem!* gravissimo dolore oppressus exclamat: *cæci casûs ludibrio res tuæ subduntur. Funesta quædam necessitas eventu fortuito mortalium rebus præest. Verumtamen non, non ita quidem. Decreta sunt hæc Divinæ cuiusdam iustitiæ, quæ suum ad exitum perduci conspicimus. Deus aliquis tenebroso obvolutus mysterio iudicia sua exequitur, nunquam certè nobis comprehendenda. Quis audeat Altissimi arcana perscrutari?*

3 In tertio capite se se ipsius oculis offert divinum quoddam *Spectrum*, quod hisce verbis eum alloqui cœpit: *Quousque tandem homo* COELOS *iniustis suis querimoniis fatigabit? Quousque tamquam suarum calamitatum causam* FORTUNAM *arguet?* Tuncque mortales ad ipsius Naturæ tribunal adesse iubens, ostendendum suscipit querimonias illas nihil esse aliud *quàm iniustos falsæ cuiusdam sapientiæ fictæque pietatis clamores, quibus homo Naturam calum-*

niatur aut eius Auctorem; dum motuum Solis ac cæterorum cœlestium siderum, marium, ventorumque naturalem cursum, ex quo pluviæ roresque oriuntur, conservat, quin unquam Deus primævum constantemque à se ipso Naturæ præscriptum ordinem immutaverit. Asseveravit Philosophus se se nunquam *rationis* vocem statim ac ipsam perceperit, neglexisse; quin potiùs se ardenti cognoscendæ veritatis cupiditate flagrare. Spectrum verò illud se *naturæ Genium* esse declaravit; eique se conspiciendam veritatem, dissipatis ipsius præiudiciis, exhibiturum pollicitum fuit. Quamobrem eum subitò arripiens, unico volatu ipsum ad superiores cœli transtulit regiones; unde ei tellurem ostendit eo ferè aspectu, quo Luna ex illà in eclipseos obscuritate, ope telescopiorum observata, nostris oculis exhibetur. Tunc aciem oculorum in ipso acuens, in antiquà Ægypto, cæterisque regionibus quas circumspiciebat, præteritæ magnitudinis ipsarum reliquias *Palmyrenis ruinis* similes ei monstravit. Atque inde ipse *Genius* confecit, frustrà hominem in rerum universitate occultas, extraneasque suarum calamitatum causas investigare; cùm ipse *naturalibus* regatur *legibus*, quæ nunquam à præscripto ordine aberrantes, communis bonorum malorumque omnium sunt et origo et fons. Itaque si homo rerum quibus circumdatur, suamque propriam naturam animo complectatur; tunc quidem probe suæ sortis agnoscet agitatores et malorum suorum causas, quænamque ipsis remedia possint adhiberi, intelliget.

Naturam ipse Genius POTENTIAM ORDINANTEM appellat, quæ leges iis similes quibus mundi physici motus subduntur, ad regendum hominem sanxit: leges inquam, quæ rerum omnium quæ in *ordine morali* contigerunt, simplex sunt simul et fœcundum principium.

Deinde verò ad considerandum primævum hominis statum progreditur. Eundem tam spiritu quàm corpore nudum sibi animo fingit, orbum, ab *ignotâ Potentiâ* quæ ipsum in lucem edidit derelictum, cæteris animantibus similem, quique nullum alium, præter naturæ effectus, ducem sequatur. Ex hisce principiis, hominumque huc illuc vagantium necessitatibus, originem suam ducunt societates: quarum ope homo propriâ suâ virtute se se ad illud usque extulit incredibile fortunæ culmen, quod in regione omni humanitatis genere excultâ nostros ob oculos obversatur, si illam cum eo statu conferamus in quo, priusquam ab hominis intelligentiâ excoleretur atque perpoliretur, arboribus tantùm, herbis, et feris horrida squalebat. Ex societatibus autem quamplurima exorta sunt mala, quæ necessarias et diversas, quæ posteà inventæ sunt, regiminis formas legesque reddiderunt.

4 Post novem indicata capita, consequuntur alia duo in quibus de generalibus causis disseritur, quibus priscorum populorum prosperitas, eorumque conversiones atque ruinæ adscribuntur; et in capite duodecimo nonnulla ex præteritis temporibus afferuntur excerpta documenta, quæ nostris hisce temporibus renovata conspeximus. In duodecim

verò primis designatis capitibus, quæ tamquam operis totius vestibulum haberi possunt, diversas observare facili negotio licet maximi quidem ponderis et certitudinis veritates super naturâ aut *esse* tam illius quæ homini vitam infudit *ignotæ Potentiæ*, quàm hominis ipsius, quatenùs iste propriæ suæ sortis arbiter est, subiectamque arbitrio suo propriam habet fortunam, aut proximam bonorum malorumque suorum causam. Veruntamen in assertiones evidenter falsas passim incurritur, aut veras amentias, falsis permixtas luminibus vividæ perversæque phantasiæ, qua nihil certè ad pestilentes humani cordis halitus ferocissimis corruptissimisque moribus excitandos accommodatius.

5 Quæ igitur in primo hoc Volneii libri aditu afferuntur, sponte suâ desiderium excitant investigandi:

I° Utrùm ignotus Deus, qui homini suum ipsius *esse* largitus fuit, res sit aut *Ens* naturà suâ necessariò existens, omnipotens, hominis et universi mundi conditor; an verò nullus alius præter materiam ipsam existat Deus, nullaque alia præter humanam belluinamque *intelligentia*.

II° Utrùm homo in agendo necessitate feratur instar ignis urentis, aut saxi eum super quem decidit opprimentis; an verò contrà causa sit libera, quæ in quamplurimis suis actionibus illud quod voluerit exequatur, quodque exequi noluerit prætermittat, idque eà de causà, eà ratione et eo tempore quibus ita voluerit.

III° Utrùm Deus, qui hominis arbitrio omnia ipsius bona et mala reliquit, illum naturalis rationis aut *intellectûs lumine* interiùs alloquatur; numque aliquoties nonnullos aut plures homines, aut populum aliquem aut nationem extraordinariâ ratione, aut externis vocibus, sicut homines secum invicem loqui solent, fuerit allocutus.

IV° Utrùm homo suis liberis actionibus, quæ modò bonæ, modò malæ sunt, præmio vel supplicio dignus evadat; numque Deus sit qui priùs leges, deinde verò præmia aut supplicia illi iniungat.

V° Utrùm homo solâ suâ libertate satis virium habeat, quibus bonos vel malos habitus, virtutes nempè induat et vitia, malos autem emendet aut saltem refrenet, bonosque perficiat.

6 Itaque in primâ *Meditationum* istarum parte naturalem humani animi auscultabimus *Intelligentiam*, dum ipsas inter Palmyræ ruinas in generali aut catholico religioso universi generis humani cœtu, has similesque alias quæstiones, malis remedium quæsitura, naturalibus autem et supernis hominis bonis cumulum adhibitura, perpendet atque definiet. Quo quidem examine evidentissimè Deum *ens* esse seu *rem* ita naturæ suæ necessitate existentem conficietur, ut non existere nunquam potuerit numquamque possit; ipsius verò intelligentiam, potestatem, libertatemque suæ naturæ esse æquè necessarias et infinitas; eum denique rerum omnium, quæ sint, quæ fuerint, et quæ venturæ sequentur, à se se ipso distinctæ, creatorem esse et effectorem. Atque inde etiam certis-

simum perspicuumque esse non dissimili ratione consequitur, Deum hominis animum suæ intelligentiæ, suæque libertatis participem condidisse; et hinc diversa moralia officia, quibus homo sibi à Deo maiora vel minora aut præmia aut supplicia promeretur, scaturire. Ex quibus omnibus aliisque similibus, quæ totidem quidem sunt axiomata aut prima principia, aut necessariæ ipsorum consecutiones, multiplici ratione conficitur Divinam providentiam iustitiamque, tam quod ad hominum animos attinet, quàm ad lapides, cæterasque res in materià aut corpore consistentes, non generalibus iis legibus quibus Deus *physicæ* ipsarum naturæ prospicit coërceri, sed potiùs ad unumquemque ex hominum animis consilia sua singillatim extendere; ipsum non physicis dumtaxat legibus, sed moralibus etiam officiis, iubentibus nempè et vetantibus legibus regere, quibus voluntas constringitur; Deum verò postea ipsos animos præmiis afficere aut suppliciis, quæ infinitæ misericordiæ, infinitæque simul illius iustitiæ adamussim respondeant, quamvis aliunde misericordia ulteriùs longiùsque præ iustitià Divinorum consiliorum fines protendat.

7 Indicatarum quæstionum discussioni nonnullæ in fine primæ partis istarum *Meditationum* adiicientur magni ponderis consecutiones, ex sanctionibus quas hisce de rebus dictaverit *recta ratio* derivatæ. Postea verò *Meditationum* aut contemplationum consequetur secunda pars: cuius quidem ordo quadam serie distinguetur nocturnarum auditionum, quas *genera-*

lis intelligentiæ Genius, catholicæ universi humani generis congregationis rogationi indulgens, in silenti illo theatro aut tribunali aperiet, ut *militantis Ecclesiæ Ichnographia*, aut ædificii super Divi Petri confessionem à Divino architecto Iesu-Christo erecti adumbratio, perpendatur. Atque ex hoc quidem examine illud futurum esse consequetur, ut in hac Divini istius ædificii adumbratione quamplurima lineamenta formæque subliniores emineant, quæ perfectissima quæque et pulcherrima cuiuscumque socialis ædificii, quod solo naturæ lumine aut ipsius notionibus, solisque naturalibus viribus, efficacitate aut impulsu erectum fuerit, ornamenta longo superent intervallo. Verùm inter ea omnia quæ naturalis intelligentiæ acies in *Ecclesiæ militantis Ichnographiá* potest distinguere, nullam profectò lineam, nullum angulum, punctum nullum ex iis quæ à Divino architecto ducta aut descripta fuerunt animadverti licet, quod non ad amussim normamque exactum sit *rectæ rationis*, quam Natura ipsa aut eiusdem Auctor in socialibus ædificiis construendis, ad eorum perennitatem unitatemque firmandam, cavendamque fissuram scissionemque omnem quæ constructionis finem impediat, tamquam necessariam regulam sibi proposuit.

8 *Meditationum* istarum tertiam partem efficere poterunt illæ, quæ in *naturalis intelligentiæ* consideratione versantur : in quibus nempè præ oculis Divina habebitur *revelatio*, ut duplici hoc luminum notionumque genere densissimæ fugentur præsti-

giarum nebulæ, quas adversùs christianam Religionem suo in somnio congessit Volneius; illius principia aut doctrinas cum aliis aliarum pauciorum vel plurium religionum permiscens, quæ quidem nihil aliud sunt quàm dolosa commenta hominum, seu potiùs diabolicæ fraudes eâ de causâ inventæ, ut quos christiana Ecclesia in falsis religionibus vehementiùs detestatur, eidem adscribantur errores et crimina; catholicæ verò romanæ Ecclesiæ tribuantur ii quos hæc eadem in aliis aversatur quæ ab ipsâ recesserunt christianis ecclesiis; quodque fortasse magis est lamentabile, ut Iesu-Christi veri Dei verique hominis crucifixi doctrinæ criminosi illi assignentur abusus, quos *triplex concupiscentia* quibusdam temporibus, perque certa loca plùs minùsve induxit et propagavit, perque populos etiam catholicos quorum fideles, utpote ex Adamo prognati, dum mortalem hanc vitam degunt nunquam non sunt infirmitatibus à peccato originali exortis obnoxii.

MEDITATIONES

IN GENERALI CONVENTU PROCURATORUM TOTIUS GENERIS HUMANI, SUPER CULTUM DIVINITATI DEBITUM, INTER PALMYRÆ RUINAS HABITÆ.

9 Si famosus viator, qui titulo *Meditationum super Palmyræ ruinis* somnium nobis enarravit, eâ nocte sibi incussum qua inter ipsas accubuit, somno prætulisset vigiliam, qua illam et nonnullas alias noctes, ut decebat philosophum, ruinarum à se diurno tempore perlustratarum meditationi impendisset, suosque oculos sustulisset ad stellatum cœlum, quod sibi in amplissimo vastæ solitudinis illius horizonte obversabatur; deinde verò diversos diversarum gentium, ætatum aut ærarum, regionum, et morum, congestos acervos, quos sine dubitatione ei exhibebat vivida et fœcunda ipsius phantasia, perpendisset: certissimum fore à nobis ostenditur, ut omnem eam multitudinem ab Adamo oriundam, *triplicique* subiectam *concupiscentiæ* inveniret; atque ita subtiliora humanæ rationis inventa cum cimmeriis ignorantiæ errorumque tenebris, et præclarissima quæ-

que generositatis et beneficentiæ gesta cum incredibilis feritatis, barbariæque criminibus et morum horribili perversitate, quæ in silvestres feras cadere possit, permixta intueretur. Quin et in nationibus omnium maximè industriis, quæque artium perfectione, scientiarum glorià, commerciique amplitudine cæteris antecellerent, cum tot tantisque humanæ rationis prodigiis coniunctos simul reperisset quos ipsa maximè detestatur excessus atque perversitates.

10 Verùm si Volneius in suis Meditationibus aliquas ad id designasset noctes ut ætates omnes diversarum nationum, quarum vestigia nonnulla in ruinis illis impressa extabant, ad *rectæ rationis* tribunal adduxisset, quo tempore eas omnes *triplicis concupiscentiæ* dominationi, cui propter Adami peccatum obnoxia perstitit natura humana, subiectas invenisset; si eas, inquam, ante illud ipsum tribunal coëgisset occultam religionem quam omnes plùs minùsve profitebantur declarare, unam certè inter has reperisset quæ et naturà suà distingueretur à cæteris omnibus, et ex quacumque terrarum orbis regione tanquam in alto monte conspicua facili negotio cerneretur atque agnosceretur. Tunc gentium ex diversis ætatibus et regionibus maxima pars, statim ante *rectam rationem* se se nullam aliam Religionem aut *Dei cultum*, quàm ab ipsà maioribus suis aut vicinioribus ipsorum ætati populis traditum, admittere declarasset. Has verò gentes omnes ab erroribus suis abduxisset *recta ratio* incredibilia eis-

dem ostendens præstigiarum portenta, quibus et sui ipsarum progenitores, et illæ ipsæ delusæ fuissent, dum scilicet *rectæ rationis* dictamini eadem quæ ab ipsa severiùs damnabantur adscriberent. Generatim autem hisce rationibus addidisset, in omnibus scilicet sublimioribus naturalis luminis humani inventis, quæ ad Divinum cultum pertineant, immensum quoddam vacuum spatium reperiri ab infinitâ distantiâ proveniens Deum inter et hominem; cuius naturalis intelligentia et voluntas, licèt quædam sint Divinæ mentis imago aut communicatio, eas tamen evidenter cognoscitur nullo modo posse ad sublimem notionem quam intellectus humanus de Ente Divino, deque debitis ipsi amore et veneratione habere potest, inveniendam pervenire. Ad id enim ostendit *recta ratio* luminum opus esse quæ homini proximè infundantur ab ipso Ente Divino, ita ut istud illum eâ ferè ratione alloquatur, qua homines se se invicem alloqui solent.

Et re quidem verà diversi in Palmyræ ruinis designati populi se sisterent, qui se se non ab humano ingenio, nec à Regibus, nec à Philosophis; sed à Deo tantùm, qui nonnullos sapientes aut principes homines allocutus fuerat docueratque, quam profitebantur Religionem proximè hausisse prædicarent. Et hi quidem omnes unam simul proferebant de re istâ sententiam illâ veritate innixam; Deum scilicet illum qui suam ipsorum Religionem revelaverat, *nec decipere homines, nec decipi posse*: cui rationi alia quidem addebant particularia argu-

menta, quibus re verâ à se se receptam ex Deo eam Religionem conficiebant. Verùm cum eò tandem pervenit *recta ratio* ut *eventum* factæ à Deo revelationis perpendat, nullam inter cæteras omnes, præter unam christianam super D. Petri confessione stabilitam, eidem fas est invenire Religionem, quæ ad extorquendam rei tam extraordinariæ fidem vel ullam verisimilitudinis aut probabilis rationis umbram præ se ferre videatur.

INCIPIUNT MEDITATIONES NOCTURNÆQUE DISCUSSIONES.

11 Ferè in medio vastæ, desertissimæque solitudinis spatio quæ Assyriam inter et Euphratem et Persiæ confinia interiacet, quæque olim assiduo maximoque negotiatorum è Sinarum Indorumque regionibus in Europam commeantium concursu celebrabatur, frequentissima simul et locupletissima suum attollebat caput civitas illa princeps, quæ imperante Zenobiâ à Romanis eversa quingentis et mille abhinc annis in ingentem ruderum acervum non sine stupore mutata conspicitur; ad quam modò nonnulli dumtaxat accedunt sapientes ex Europâ viatores, miranda monumenta quæ ex magnificis eius aquæductibus, porticibus, et templis superfuerunt, quæque nunc *Palmyrenarum ruinarum* nomine insigniuntur, invisuri. Iacebat in terrâ amplissimum capitellum ex quadam earum ingentium columnarum de-

cisum, quarum scapi ex totidem magnitudinis incredibilis confecti solidis saxis maximâ etiam nunc admiratione sapientes afficiunt ; qui certè, nec quibus ex lapicidinis tanti ponderis moles excissæ, nec unde, nec quibus machinis erutæ, atque eum in locum translatæ fuerint, definire huc usque potuerunt. In eo igitur sedens conspiciendum se se præbuit gravissimus quidam vir, qui philosophico indutus pallio universi *humani generis intelligentiam*, rectamve qua hominis animus instruitur naturalem rationem præ se ferre videbatur. Eò igitur innumeri convenerunt à civilibus universi terrarum orbis societatibus, philosophorum familiis, et religiosis cultibus extra ordinem missi legati : quorum duo, senior nempè et junior, ad eum pro cæteris omnibus verba facturi accesserunt.

12 Atque in istam ferè sententiam primus eum allocutus fuit Confucius : « Luminis claritate, qua « nos à te ipso perfundimur, omnes terrārum orbis « populi aut nationes colendum à nobis Deum faci« li quidem negotio novimus. Verùm cum singuli « tuo isti lumini privatarum inventionum, cupidita« tumque deliramenta sufficiamus; quem sibi quisque « fingit Deum, illum et omnium optimum, et uni« cum esse arbitratur. Quamobrem tot tantisque dis« sidiis et perturbationibus, quas diversæ cultûs Di« vini rationes invexerunt defatigati, unde maximæ « semper molestiarum moles diversis ex eâdem fami« liâ aut ex eodem populo hominibus acciderunt, « sæpè etiam cruenta et incredibili immanitate et

« barbarie plena bella, aut inter dissidentes ejusdem
« nationis partes aut inter finitimos populos exorta
« sunt ; oportere unanimi consensu existimavimus,
« ut ad accipienda sine strepitu clara tuæ vocis ora-
« cula procul à cultis populis recederemus, iis præ-
« sertim qui cæteris sapientiæ gloriâ præstare sibi
« videntur, quosque cùm insolens ista de se ipsis
« existimatio, et maximè superbos et alienæ laudis
« invidos reddat, eosdem suspectos nobis efficit, si-
« mulque in eos qui ad ipsorum sententiam non
« adhærescunt crudeliores. Quamobrem in vastam
« hanc desertamque solitudinem aut singuli aut
« duo philosophi, politici, et sacerdotes conveni-
« mus, ex iis doctoribus, magistratibus, sive ministris
« electi, qui in singulis quibusque insignioribus phi-
« losophiæ sectis aut litteratorum hominum societa-
« tibus, aut in nationum rebuspublicis, aut in di-
« versis cœtibus cultui Divinitatis intentis emineant.
« Huc igitur nos omnes eà spe adducti accessimus,
« fore scilicet ut aliquod fortè per hæc loca voli-
« tans se se nobis offerat aut numen, aut umbra,
« aut animus, aut spiritus, aut genius, qui de Reli-
« gione, aut de Supremi Numinis cultu ad tranquil-
« litatem orbis terrarum magis accommodato nos
« certiores efficiat. Equidem nostrum istud consi-
« lium à te speciali quadam benevolentiâ inditum
« nobis exhibitumque arbitramur : qua de causâ
« procuratorio nomine te cum mandato rogaturi
« accedimus, ut tamquam universi humani generis

« arbiter apertam de Religione, sive de verâ Dei « colendi ratione, feras sententiam ».

13 Vix finem dicendi fecit Confucius, ita eiusdem socius prosecutus fuit: «Ego verò ex septentrionali- « bus Americæ plagis huc usque veni; in Huronum « patriâ natus, quos scilicet semper magnus Spiritus « seu *Genius* allocutus fuit, et nunc etiam ita allo- « quitur: *Vos ergo nunc ut me agnoscatis, et ametis,* « *mihique serviatis incumbite; mei verò est muneris* « *perficere, ut mecum postea ineffabili meâ beatitu-* « *dine perfruamini* (Videantur *Les deux genres de* « *Philosophie.* Bayonne 1822 pág. 12). Ad nostra- « tes igitur aliæ nationes quæ sapientiores viden- « tur, quæque nos silvestres aut barbaros homines « appellare consueverunt, quemdam modò intruse- « runt librum vario nostrarum regionum sermone « typis mandatum, in quo nobis exhibetur inaudita « quædam Religio, cuius præcipuæ de vitæ ratione « à nobis tenendâ notiones ut modò beatè vivere, « post obitum verò ampliorem beatitudinem obti- « nere possimus, maximè consentaneæ illi viden- « tur doctrinæ quam nostri parentes, maioresque, « tamquam à magno nostro Genio, quem rerum « omnium creatorem auctoremve nominant, deriva- « tam nobis tradiderunt. Huc igitur cum iisdem « mandatis ac cæteri omnes accessimus ».

14 Quibus è simplici suo throno venerandus Senior in hæc ferè verba respondit: « Omnes quidem « homines ubicumque et locorum et temporum suas « actiones exigere ad inditum eisdem à *recta ratio-*

« *ne* lumen ita iubentur, ut cùm ipse Genius sim
« primus scilicet illius interpres, eisdem possim in
« omnibus, quæ luminis ipsius ambitu continentur,
« propriâ legitimi iudicis auctoritate imperare. Verùm
« cùm libenter *rectæ rationis* nomine generalem hanc
« quæstionem, quam civiles omnes et religiosæ et
« philosophicæ societates illius subiecerunt arbitrio,
« definiendam suscipiam, tres eisdem statuam ma-
« ximè necessarias conditiones oportet ».

« Et prima quidem conditio in eo consistit, ut
« de Religione seu Divino cultu non nisi inter eos
« homines qui rectà ratione uti noverint sermo in-
« stituatur. Quamobrem non disputando insumen-
« dum tempus cum garrulis iis hominibus qui de
« omni quacumque re dubitare amant: neque cum
« aliis qui hominem suis in actibus non libero
« arbitrio uti contendunt; sed in rebús omnibus,
« aut necessitate, aut impulsione, aut inevitabili
» propriæ suæ naturæ aut alieno instinctu ductum,
« se se gerere instar ferè lapidis suo pondere deci-
« dentis, aut plantæ humorem aquæ qua irriga-
« tur absorbentis, et eà ratione qua aves, pisces,
« et belluæ propriæ conservationi suæ vitæ, suis-
« que viribus perficiendis, propagandæque suæ spe-
« ciei operam navant. Qui verò homines non se
« libertate præditos arbitrantur, aut qui non alià de
« causâ suos animos intelligentià præstare belluis
« sibi fingunt, nisi quia nonnullis corporum sensi-
« bus perfectioribus quàm belluæ instructi sunt;
« ii quidem ad vitam cum rudentibus, latrantibus,

« canentibus aut ululantibus bestiis agendam pro-« pellendi sunt: neque verò ad eorum qui loquun-« tur societatem admittendi; nisi fortè ipsos medi-« cis tradi oportere existimetur cùm ægrotare cor-« pore, aut iudicibus sive carcerum custodibus « cùm animi pravitate cæteris hominibus noxiâ labo-« rare videantur. Verùm quocumque modo se res ha-« beat, semper ii in ægrotantium amentiumque « hospitio recipiantur oportet, ut cùm sine dubita-« tione saltem aliquâ ex parte mente capti exis-« tant, aut medicamentis, aut suppliciis, aut utrâ-« que re simul ab amentiâ suâ revocentur: re enim « verâ amentes sunt ».

« Altera quæ iniungitur conditio ita se habet: « Vestris scilicet in mandatis id declaretur necesse « est, ut qua ratione in Deo colendo non modò « cives aut subiecti homines erga imperantes sibi « auctoritates et erga se invicem; imò et supremæ « singulæ liberæ auctoritates erga sibi subditos ci-« ves, quin et erga cæteras supremas liberasque po-« testates se se gerere debeant, pronuntiare possim ».

« Tertia verò conditio hæc est: *Recta* nempè « *ratio* declarat se se eandem prorsùs doctrinam « universalem in toto terrarum orbe, quam in iudi-« ciis à se ipsâ hìc in istâ solitudine faciendis huc « usque tradidisse, nunc etiam tradere semper-« que tradituram: quo fiet ut ubique temporum, « gentiumque, et in omnibus rerum adiunctis, qua « ratione eam ipsam doctrinam futuris eventibus ac-« commodare debeant, agnoscant ii omnes qui ma-

« iori contentione veritatis amorem ducem sequan-
« tur, et omnia adiuncta æquâ rationis ipsius lance
« perpendant ».


15 Hìc conticuit *Genius;* subitòque ad infimos gradus quibus ad thronum ascendebatur, alter adstitit *Genius*, qui mediâ ætate virum pallio indutum philosophico præ se ferebat. Qui cùm se profundâ adhibitâ veneratione ante Seniorem stitisset: « En « vobis, inquit iste, *Ponentem* congregationis ca- « tholicæ aut universalis totius humani generis, « de Divino cultu deliberaturæ. Idem ipse *Relato-* « *ris* simul et *Actuarii* fungetur officio, qui fe- « rendas in iudiciis nostris sententias litteris man- « det. Nunc verò ad vos de rebus in iis pertractan- « dis referet ». Hæc ubi primus *Genius* protulit verba, evanuit. Alter verò ita fuit societatum procuratores allocutus: « Singulis quibusque noctibus « horâ duodecimâ aperietur iudicium: in quo non- « nulli priùs agentur conventus prævii, in quibus « aliqua præiudicia, postulata, aut principia, quæ « tamquam præcipuæ sententiæ fundamenta statuan- « tur, recta ratio ordine servato consignet». Tunc verò scriptam legit præcipuarum rerum discutiendarum seriem, quam proximæ columnæ infixit, id præmonens ut statim inter procuratores omnes duo generales, alter ex remotioribus seculis, alter verò ex hac nostrâ ætate, *Relatorem* aut *Ponentem* informaturi seligerentur; atque ita suam orationem conclusit: «Hodiernâ duodecimâ noctis horâ primus agetur con- «ventus». Mox designatis duobus illis procuratoribus,

eisdemque unà cum Relatore permanentibus, cæteri diem illum de rebus in serie columnæ infixâ comprehensis generatim disserendo et sermocinando maximâ cum iucunditate transegerunt.

---

16 *Prima nox.* Iam ante magnificum capitellum procuratores convenerant, cùm in medio noctis silentio lumini exiguo, quo cœlum in vastâ illâ solitudine maximè serenum splendet, subitò accessit altissima quædam claræ lucis columna; et tunc senior Genius in suo throno, et Relator aut Ponens ad illius pedes se se conspicuos præbuerunt. Atque hic quidem hisce verbis disputationis initium fecit: « Quæ nunc in isto conventu res pertractanda pro« ponitur, in vi aut efficacitate consistit Cartesiani « illius celeberrimi iuxta ac brevissimi enthymematis « *Ego cogito; ergo sum :* ita ut enthymema istud velut « axioma consideretur aut primum principium quo « ignoti Dei existentia demonstratur ». In medium etiam protulit quæcumque de huiusmodi argumentatione disseruerant prisci philosophi, quantâ vi Cartesius ipsam proposuit, quàm gravibus commentationibus eam illustrarunt posterioribus his seculis nonnulli philosophi recentiores; quin et ortas ex ignarâ curiositate, aut ex stultâ superbiâ declaravit angustias, quibus plures Divini cultûs servandique inter mortales optimi ordinis hostes ipsam oppugnaverunt.

En igitur quod ex totâ declaratione maximè attentos auditorum omnium animos fecit. « Ista « argumentatio, inquiebat Relator, *Ego cogito ;*



« *ergo sum*, eodem prorsùs modo se habet ac ista al-
« tera *Ego cogito aut dissero*; *ergo sum aut existo*:
« ergo nihili aut possibilitatis fines prætergressus
« sum, iamque intra rerum verè existentium ambi-
« tum consisto. In hac propositione *Ego cogito*,
« pronomen *ego* non quidem *ens rationis* aut rem
« tantùm mente excogitatam, non animi nudam
« conceptionem significat; nisi enim animus existe-
« ret, confingere omninò non posset. Quod igitur in
« propositione istâ *Ego cogito*, pronomine *ego* de-
« signatur, ens verùm est, ens reverâ existens, res
« quædam vera, quædam si ita loqui licet realitas;
« quam existere tam perspicuè mente conspicio, ac
« Solem meridianum cœlo sereno corporis oculis
« cerno. Eâdem evidentiâ tam in somni quiete quàm
« in statu vigiliæ, tam in silentio et otio quàm dum
« loquor, curro, scribo, aut pugno, eundem omni-
« nò hominem me esse agnosco. Ens sum quod si-
« ne intermissione immutatur, quodque inter con-
« tinuas immutationes semper idem omninò perse-
« verat. Sum equidem nunc aut existo eadem illa
« res quæ duabus abhinc horis eram aut existebam,
« eadem hodie quæ heri, eadem hoc anno quæ
« præterito, eadem in senectute quæ in adolescen-
« tiâ et pueritiâ, quæque eram in meo ortu cùm
« in lucem è matris utero editus fui ».

17 « Ex quo neque me semper extitisse, neque
« me ipsum effecisse consequitur, sed *causæ* alicu-
« ius esse effectum. Mei fortè parentes causæ esse
« efficientes dicentur cur ego sim id quod reverà

« sum; quemadmodum causa est ignis cur lignum « in carbones resolvatur, et sicut cinis effectum « quoddam est quod ex carbonibus ab igne educi- « tur, aut eâ ratione qua horologium effectum « quoddam est cuius causa est opifex, sicut et su- « tor calcei. Verùm ex his omnibus quæ modò ad- « duxi, virum et fœminam causas non esse confi- « citur quæ solæ perficere id potuerint quod ipse « sum, quodque hac voce *ego* in istâ propositione « exprimitur *Ego cogito* : neque enim ignis combu- « reret, nec opifex et sutor horologia calceosque « efficerent, nisi prima existeret causa quæ igni et « cæteris corporeis causis *efficacitatem* et vires ad « agendum et producendum, homini verò priùs « *intelligentiam* indidisset, qua plures cùm proprias « tum alienas vires ad obtinendos propositos sibi « fines adhiberet ».

18 « Illud verò præ cæteris animadvertendum, « illud ens aut eum hominem qui dicit *Ego co-* « *gito*, ad eandem omninò speciem atque ipsius « parentes ac cæteros progenitores pertinere. Pro- « genitorum seriem, qui præsentes antecesserunt pa- « rentes, interminatam aut infinitam esse posse « lumine naturali agnoscitur, dummodò extra illam « posita *causa infinita* credatur, quæ infinitâ vigens « potestate, et necessariò naturâ suâ existens, et « principio atque fine omninò carens, è totâ suâ « æternitate creando perseveret, resque omnes à « se in universâ naturâ creatas conservet; ita ut in « rebus quæ multis antea seculis fuerint, in iis

« quæ venturæ multò postea sequantur, sicut et « in illis quæ modò existunt aliquid semper efficit. Causa inquam, quæ eàdem virtute perficit ut « Sol, quamvis toties decies centies mille leucarum « spatio à nobis distet, uno simul eodemque temporis momento suum in nos lumen effundat, « atque effusum nostris oculis intueamur ».

19 «Quicumque ineffabili Dei nomine *Ens* intelligat quod suâ ipsius naturâ necessariò existit, « quodque nunquam omninò non extitisse potuit, « et neque modò non existere non potest; quamvis qua ratione Deus agit ignoret, sufficientem « nihilominùs in eo causam agnoscit, quæ ex nihilo mundum educere ab æternitate potuerit, aut « cur mundus, si ita Deo placuisset, sicut modò ab « initio temporis existit, ab æternitate extitisset. « Verùm nisi priùs Deum causam infinitam, simplicissimam, omnipotentem et æternam crediderimus, « fieri nullâ ratione omninò potest ut homines, « animantia, arbores, plantas, metalla, rem ullam « existere concipiamus; nisi fortè satius esse duxerimus Deum illum æternum, ævo perpetuum, vi et « efficacitate infinitum, nihil esse aliud quàm mundus, quàm ipsa rerum universitas, quàm tota natura, aut ipsa ex corporeis rebus coagmentata « congeries simul et ex spiritalibus, spiritibus nempe, *energiis* ut ita dicam aut animis, qui prout « plùs minùsve spirituales extiterint, maiori aut « minori intelligendi virtute polleant: quo fiat ut « homo propter perfectiorem sensuum conditionem,

« qua suas actiones et cognoscit et variat, quaque « cæteris animantibus et plantis antecellit, una sit « aut Dei aut totius universi nobilior pars, aut « certè omnium nobilissima.

20 Atque ita quidem disserebat Relator *Genius*, cùm subitò ipsum è suo throno hisce verbis interpellavit Senior : « Sufficiat, inquit; scribe : PRIMA « SANCTIO. *Recta naturalis hominis ratio tolerare non « potest eousque ineffabile* DEI *nomen deduci et par- « vipendi, ut ipsa hominis intelligentia* DEUS, DEI « *verò* PARTES *cæteræ totius universi res et spiritus et « corpora esse credantur* ». Cogitans homo, interiori « splendentique intellectûs sui lumine de cogitatio- « nis suæ veritate, aut existentiâ ut ita dicam, « convictus existat necesse est : quo fit ut facili ne- « gotio certò et indubitatè Deum cognoscat existe- « re, qui omni prorsùs materiei concretione immu- « nis, neque ullâ materie indigens, è nihilo educere « tam hominis *intelligentiam*, quàm eam qua existit « naturam potuerit. Eodem splendenti lumine intùs « animo sine ullâ dubitatione cognoscit homo, suam « ipsius intelligentiam, aut *rem eam quæ in ipso « intelligit* è nihilo reverà prodiisse : illud enim *ego* « quod modò cogitat, nunc reverà est cùm antea « non esset, nunc reverâ existit cùm antea non « existeret ».

« Verùm quamvis naturalis rationis lumine, cau- « sam sive *rem* infinitâ potestate vigentem, quæque « naturæ suæ necessitate existat, aliquid è nihilo « perficere posse demonstretur ; non tamen eo ipso

« satis apertè causa illa seu *res* infinita declaratur, ut « certum possit de hac quæstione iudicium ferri, « num scilicet creatio, qua è nihilo universa rerum « natura educta est, æternitatis infinitate par Deo « existat, an inceperit postea. Quamobrem utrùm « mundus iam ab æterno extiterit an existere ince- « perit, in controversiam adducere philosophos rec- « ta ratio sinit : verùm nullà prorsus ratione eisdem « permitti potest ut Deum, quasi esset ipse mun- « dus, ex corporum nempè et spirituum coagmen- « tatione hominis instar concretum exhibeant. Quam- « obrem recta ratio civiles omnes societates longè « à se proiicere litteratos eos homines iubet, qui eò « arrogantiæ devenerunt, *ut se se ipsius* Dei *esse* « *partes* arbitrentur. Ita desipientes aut mente cap- « ti huiusmodi homines sunt, ut morte suus ipso- « rum animus aut intellectus tantùm in Divinitatis « occeanum sibi regressurus videatur ; quemadmo- « dum cum mari iterum commisceretur aqua ea « qua implerentur variæ ex vitro aut crystallo la- « gunculæ, cùm in mare proiectæ interque undas « propriis cuiusque motibus versatæ, mutuà tan- « dem ipsarum collisione, aut alienis ictibus aut « impulsionibus confringerentur. Qui quidem tam « ferinà naturà homines singulari quadam qua « præditi sunt ingenii acie, quemadmodum corni- « bus tauri, unguibus tigres leonesque instructi sunt, « cùm effrenatam abiecto Dei mortisque metu vi- « tam instar ferarum agant, non possunt non infen- « sissimi esse publicæ tranquillitatis perturbatores.

« Verùm in rudibus ignarisque hominibus huius-« modi, licèt tam absurdi, errores tolerari quodam « modo possunt, dummodò ipsorum perversus usus « nullum publicæ paci, populorum familiarumque « felicitati detrimentum afferre videatur ».

Ita quidem sanctionem istam dictaverat princeps *Genius*, eamque protinùs Relator altâ voce legit, et proximæ quæ stabat affixit columnæ, cui cæteræ postmodum ordine suo sanctiones affixæ sunt. In superiori verò throni gradu nonnulla animadvertit extare documenta, quæ ad cæterarum noctium disputationes pertinebant, quarum hæc erat nocte proximè secutura proponenda : *An scilicet corpus aut materia ita cognoscendi facultate prædita sit, ut deliberare possit.* Quæ ubi enuntiata fuit, tam lucis columna quàm duo illi Genii subitò evanuerunt.

21 Illuxit statim dies : tuncque procuratores proximæ deliberationis monitum scriptum invenērunt in quodam papyri folio, quod à summo ferè usque deorsùm in duas divisum æquales partes, eas in superiori tantùm extremitate sibi invicem iunctas retinebat ; in quarum summo hæc legebantur scripta: «Duæ istæ medietates æquali extensione, proindeque pari individuorum punctorum partiumve numero constare concipiuntur. Eodem etiam modo concipitur, in unaquaque istarum partium si ultima utriusque partitio in individuis punctis consistit, certum esse definitumque punctorum numerum : quæ quidem partitio nisi effecta intelligatur,

eam poterit *Ens* infinitum unico temporis momento perficere. Contrà verò si in singulis medietatum divisionibus, earum unaquæque pari ratione in duas dividi potest medietates, quæ in duas etiam alias secari valeant; inde confici necessariò debet Deum, quamvis ab æterno mundum condidisset, nullâque intermissione istud papyri folium in duas medietates, istarum alteram in duas alias, et ita deinceps dividendo perseverasset; nunc tandem post innumera quæ huc usque præterierunt momenta temporis eò venturum, ut quamlibet medietatem in duas partes denuò posset singulis quibusque momentis dividere, quarum singulæ aliis atque aliis in posterum infinitis partitionibus essent obnoxiæ. Atque id aliud quidem est ex corporeæ naturæ arcanis, quibus evidenter ostenditur quàm arctis limitibus hominis definiatur intelligentia ».

22 Varia de re istâ commentaria legebantur : ex quibus illud præsertim commemoratione dignum habetur, in quo humana ratio facili negotio capere asseveratur, quomodò fieri possit ut tam in universa per loca aut per spatium extensione materiæ, quàm in successione partium temporis, aliqua existat infinita partitionum sibi invicem succedentium series; dummodò extra lineam illam quæ, sive seiunctis sive continuis quantitatibus constare concipiatur, infinitè divisibilis fingitur, aliquod extare *Ens* et simplicitate et potentiâ et totâ simul existendi ratione infinitum præstituatur, quodque absque ullâ sui ipsius mutatione semper eodem modo

res divisibiles creando et servando, tum innovando, aut denuò pereuntium rerum naturam perficiendo, ex totâ æternitate perseveret. Ita ut res omnes, quamvis priùs reverâ non existerent, postea verò per aliquod extiterint temporis intervallum, ac tandem esse desierint; sicut etiam dum sunt aut existunt, sive nunc in uno loco consistant sive mox in alium transferantur, semper Deo ante oculos, ut ita dicam, obversantur, semperque veri sunt effectus, Deus verò prima istorum causa.

23 Muscæ volatus aut motus in terræ superficie, cum eâ materiei portione conferebatur, ex qua axis super quem diurno motu globus iste circumvolvitur, conflatus sit: qui quidem ita circa centrum concipiatur, ut ipsius axis diameter unius tantùm pollicis æquet mensuram; proindeque circulus quem superior istius diametri extremitas circuitu diurno describit, triginta et sex lineis concludatur. Ex qua quidem comparatione consequitur calamum quo hæc scribuntur quamvis ipse extra æquatorem moveatur, tamen per infinitè divisibile spatium decies centies mille saltem pollices conficere: qui quidem eo ipso temporis intervallo dividuntur, quo axis in indicatâ superiùs distantiâ nondum minimum intermediæ lineæ spatium percucurrit. Perspicuum enim est, tam axis lineas quæ uno dumtaxat pollice, quàm calamum seu muscæ crus quod mille leucis aut plus à centro distant, unam tantùm diurno viginti quatuor horarum spatio conversionem conficere.

---

24 *Secunda nox.* Multùm quidem sermonem protrahere nocte illâ Relatori permisit Genius qui thronum occupabat; ipseque variis de rebus, prout inciderent, diversarum nationum, sectarum philosophiæ, cultumque ad distinctas mundi ætates pertinentium procuratores solebat interrogare. Sed tandem ita suam SECUNDAM SANCTIONEM dictavit: « *Ostendit* « *recta ratio deliberare nihil esse aliud, quàm ex iis* « *quæ possunt fieri et non fieri unum eligere: hancque* « *electionem actum esse quemdam ordinis physici,* « *naturalis aut reverà existentis; quamvis eidem aut* « *possit aut debeat adiungi ordo moralis, propositus nempè in electione sive cum imperio sive cum* « *consilio aliquis finis. Nam deliberatio non à nudâ impulsione aut instinctu tamquam à suâ causâ* « *originem potest ducere; sed ab electione aut* « *actu liberi arbitrii impulsum aut istius admissionem iubentis oriatur necesse est. Quamobrem* « *corpus aut materia nullo prorsùs modo facultate cognoscendi necessariâ ad deliberandum vigere potest* ». Hìc siluit *Genius.* Relator verò sanctionem legit, eamque affixit; adiiciens, ipsam in cœtu qui proximâ nocte celebraretur, fusiùs declaratâ eâ quæ inter extensionem materiæ et necessariam intellectûs cognitioni unionem intercedit oppositione, confirmandam.

---

25 *Tertia nox.* Dimisso secundo cœtu, documenta tertiæ noctis disputationi destinata procura-

tores pervolutarunt; vehementerque eorum commovit animos hæc quæ in illis scripta erat assertio : «Quisquis deliberat intelligendi facultate præ-« ditus necessariò esse debet; qui scilicet uno eo-« demque temporis momento res duas à se invicem « diversas, easque veluti diversas agnoscat. Præterea « ipsius arbitrio duæ impulsiones subditæ sint opor-« tet aut ipsas amplexandi potestas; impulsio nem-« pè quæ versùs unam ex duabus illis rebus, et al-« tera quæ alteram versùs tendat. Ex quo conficit-« tur *corpus aut materiam non eò usque facultate* « *cognoscendi pollere ut deliberare possit*. Nam ma-« teria suà ipsius naturà, aut ex intimà suà consti-« tutione, semper successionem præ se fert loci aut « spatii extensioni, temporisque successioni respon-« dentem. Quamobrem si ea in indivisibilia puncta « tandem dividitur seu resolvitur, eorum nulli illa in-« esse poterit unitas aut unio quæ ad actum quem-« cumque deliberationis necessaria prorsùs habetur; « cùm in eo duæ res intellectæ aut cognitæ quæ eligen-« dæ exhibentur secum invicem coniungi debeant: « duæ inquam notiones aut imagines quibus repræ-« sentantur singulæ duæ res illæ; duæ intelligendi et « eligendi efficacitates aut vires, et duæ intellectio-« nis electionisque actiones. Perspicuum enim est, « fieri nullo modo posse ut in nullo indivisibili pun-« cto, res duæ, quæ à se invicem seiunctæ iam fue-« rint, simul reperiantur. Pari etiam ratione, si res « vel parumper consideretur, in materie, quamvis « non ex punctis tantùm individuis, sed ex parti-

« bus infinitè divisibilibus constans ponatur, eli« gendi facultatem aut deliberantem intelligentiam « inveniri non posse conspicietur. Duarum enim il« larum rerum, notionum actionumve coniunctio « aut ipsarum inter se se comparatio, non quidem « cùm in rem unam divisibilem concreverint fieri « debet; sed cùm seiunctæ, duarum rerum nume« rum quæ uniuntur perficiunt ».

26 « Ut verò res ista, quæ maioris quidem mo« menti est quàm primo intuitu videatur, clariùs « elucescat, non abs re erit hæc quæ sequuntur in « summâ adiicere. Humanus intellectus facili nego« tio lumen et in Sole et in Terrâ, uno eodemque « temporis momento contemplatur; illud simul eo« demque mentis actu cognoscit: utque ipsius lumi« nis motum etiam agnoscat, satis est si animo sibi « fingat idem lumen quod temporis momento *A* « in Sole reperitur, iam momento *B* in oculo suo « consistere. Verùm mentis conceptiones, aut quæ « *rationis entia* nuncupari solent, haudquaquam « cum rebus veris, reverâ existentibus, naturalibus « aut physicis confundi licet. Hæc verò ex lumine « sumpta comparatio, illi quæso comparationi ac« commodetur, quæ inter temporis spatium quo or« bîs terrestrîs axis circa diurni sui circuitûs cen« trum lineam unam percurrendo conficeret, et inter « motum quo eodem tempore meus calamus aut « musca in terræ superficie iuxta æquatorem per plu« ra decies centena millia linearum circumferretur. « Cùm verò certo certius sit unum ex muscæ cru-

« ribus, ex tanto linearum numero quas per illud « spatium percurrendo confecit, duas distinctas si- « mul et eodem temporis momento occupare non « potuisse; inde evidenter consequitur quampluri- « ma illa momenta quibus axis centro proximus « unam tantùm spatii lineam percucurrit, totidem « partibus *non iam divisis*, sed quæ omnes singulæ- « que alia post aliam infinitè *dividi possent*, res- « pondere».

« Simplici istà comparatione, si tota ipsius vis pe- « nitùs consideretur, perspicuum fit nullum prorsùs « per spatii extensionem neque temporis successio- « ne intercedente motum accidere posse, quin ali- « quod sit Ens naturâ suâ necessariò existens, quod « semper fuerit, quodque nullâ prorsùs ratione po- « tuerit non existere; Ens scilicet, quod infinità po- « tentià, intellectu et libertate vigeat, quibus im- « mensam distantiam inter *nihilum*, aut *non esse* « et *esse*, quo creatæ res omnes sive naturæ sint « aut ipsarum modi, sive perpetuæ sive perituræ « existant, intercedentem, superare valeat. Nam si- « ne ullà dubitatione infinita est ea distantia, quæ « inter id quod reverâ existit, atque id quod *ens* « *rationis* appellare amant interiacet; ens scilicet « illud quod sibi noster intellectus fingit, quodque « nullum *esse* aliud habet aut naturam, quàm eam « quæ ipsi ab intellectûs fingentis cognitione tribui- « tur. Ita quidem se habet quem sibi Apuleius ani- « mo finxit *Asinus aureus*, qui licèt existere pos- « sit nihil tamen reverâ est, neque à nihilo distin-

« guitur : quasi diceres Deum illum è nihilo edu-
« cendo, eundem creare posse ».

27 Scriptam etiam in commentario aliam animadversionem invenerunt procuratores quæ ad præcedentis noctis disputationem pertinebat, quæque hisce verbis efferebatur: «Cartesius suam persecutus « demonstrationem, ex posito principio *Ego cogito*, « statim primam consecutionem istam eduxit : *Exis-* « *tit igitur* DEUS *aut* CAUSA PRIMA *efficiens et æterna*, « *quæ initium existendi parentibus dedit*, *à qui-* « *bus ipse deinceps procreatus fui.* Simili etiam « ratione ex hac propositione *Ego meis oculis* « *lumen Solis conspicio* ; aut ex hac *Ego pedibus* « *meis incedo*, hanc alteram infert tam perspicuè no- « tam quàm Solis meridiana lux, aut motus quo ipse « incedit ; videlicet : Ergo *ego*, aut id quod prono- « mine *ego* exprimitur, quoddam est ex duabus par- « tibus à se invicem maximè distinctis ita composi- « tum, ut in eo corpus simul et anima contineán- « tur : *corpus* scilicet quod spatium occupet, quod « de uno ad alium locum transeat, quodque sensi- « bus quibus videt et audit instructum, quibus- « dam cognitionibus polleat ; et *animus* intelligendi « facultate præditus, aut quædam intelligentia, effi- « cacitas, potentia aut vis, quæ possit *entia rationis* « effingere, eadem prout sibi placuerit copulare aut « à se invicem seiungere, res alias cum aliis compa- « rare, et quasdam generales notiones ex aliis sen- « sibilibus singularibus abstrahere. Præterea mens « animus eam vim habet, qua ex quibusdam verita-

« tibus lumine interioris intelligentiæ rationis cogni-« tis, aut clarà sensuum luce perspicuis, plures alias eli-« cere possit quæ in prioribus continentur, quasque « ab istis seiungere potest aut distinguere. Nihil verò « à corpore nostro præstari valet ex iis quæ potest nos-« ter animus : neque quod iste intellectûs humani « aut *rectæ rationis* lumine potest efficere, id ipsum « potest efficere eo lumine aut iis notionibus ideis-« ve quas ope sensuum perficit aut adquirit. Itaque « observationum ope, quæ superiori huic cogno-« scendi facultati suam originem debent, eò usque « progreditur naturalis hominis ratio, ut certas in-« dubiasque stabiliat regulas quibus verum à falso, « certum ab incerto secernat, atque à suæ propriæ « existentiæ cæterarumque rerum creatarum cogni-« tione ad verum Deum agnoscendum erigatur ».

28 Ut verò ad mediam noctem ventum est, nonnulla quæ duabus superioribus noctibus dicta et observata fuerant in memoriam *Ponens* revocavit; statimque *Senior* TERTIAM SANCTIONEM hisce verbis pronuntiavit: *Evidentissimè recta ratione agnoscitur fieri omninò non posse, ut* DIVINITAS *in æternâ quadam et infinitâ consistat serie corporum, aut simplicium et materiâ carentium spirituum, quorum singuli quoad proprium suum esse aut particularem existentiam et quoad suos motus et actiones esse incipiant aut desinant; utque præter tot rerum quæ limitibus definiuntur sibique invicem succedunt infinitam seriem,* INFINITAS *alia atque æternitas nulla existat.* DIVINITAS *aut verus Deus res est individua aut unica : res, quæ cum*

semper immotæ perseveret, omnium cuiusque generis motuum, omniumque individuarum rerum infinitarum quæ unaquaque specie continentur, prima est causa movens. Quin et ipse PRIMA *est omnium quorumcumque effectuum* CAUSA EFFICIENS, *omniumque cæterarum causarum, quibus ipsa efficacitatem qua unà secum proprios suos effectus proferant, sive ut dicunt causæ sint* COEFFICIENTES, *impartitur. Est primum quidem ens* NECESSARIUM, *quod nempè naturæ suæ necessitate existit: et est cæterarum omnium rerum, sive necessariæ nuncupari soleant sive contingentes, et origo et fons; cùm earum omnium ortus et conservatio et universim et singillatim semper à liberâ* PRIMI ENTIS *voluntate repetenda sint. Est etiam Deus aut Divinitas,* ENS *infinitè sapiens, potens, liberum et æternum, quod omnia effecit creavitque, omnia conservat et regit, et suam cuique rei naturam, aut proprias efficacitates, potentias et vires largitur, ita ut quidquid Deus in creatis rebus efficiat constituatve, nullâ prorsus ratione eis repugnans aut ipsarum naturæ contrarium esse possit.*

29 Promulgatâ affixâque sanctione, scholarum philosophiæ cùm priscarum tum recentiorum procuratores iussit *Senior* præses diem in disputando et sermocinando insumere de nonnullis rebus quibus tres superiores sanctiones innitebantur, quibusque postea fulciendæ essent præcipuæ quæ sequerentur. Hanc verò inter alias expositionem Relator eisdem tradidit : « Hac simplici ratione *ego cognosco ; existo*

igitur, perspicuè et sine ullà dubitatione cognoscit homo quilibet se se eo temporis momento cognoscere; cognoscere inquam tum sensuum testimonio belluarum instar, cùm ope superioris cuiusdam intelligentiæ, qua belluas præditas esse non evidenter apparet. Hac eàdem perspicuitate agnoscit se se *modò* cognoscere, antea verò non cognovisse; se se modò existere, cùm antea non existeret: in se ipso quoddam reperiri totum quod immutatur assiduè, licèt idem perpetuò perseveret, eique novas quasdam adiici partes prout ipsum sensim destruitur: se nunc in uno, postea verò in altero, nunquam autem simul eodem temporis momento in duobus à se invicem disiunctis locis consistere; neque ab uno in alterum ex duobus locis nisi traiecto quod interiacet spatio, neque demum ab uno ad aliud temporis punctum nisi per interpositas temporis partes transferri: ita ut nisi amens sit, dubitare non potest quin tam ipse quàm cæteri homines, belluæ, plantæ, quæcumque denique in rerum universitate existunt, res sint aut entia, in quibus tres reverà transitus aut notabiles contingunt mutationes; ex quibus una in transitu consistit à non existentià ad existentiam; altera in transitu à non positione ipsius in hoc definito loco cùm in alio quocumque existat, ad eiusdem positionem in primo cùm secundum reliquerit; tertia demùm in transitu ipsius ad existentiam quæ nunc aut hoc temporis puncto contingit, cum non priùs extiterit; aut etiam à non existentià eiusdem

hoc eodem temporis puncto, cùm priùs extiterit, postea verò iterùm ad existentiam transeat ».

30 « Facili quidem negotio novit hominis intellectus res, entia, aut naturas duplici posse ratione considerari: quatenùs scilicet *res* sunt, naturæ, aut res veræ et existentes, aut quatenùs entia sunt quæ tantùm in intellectu eadem cognoscente existunt; aut sicuti loqui mos est quatenùs sunt non *entia realia*, sed mera tantùm *rationis entia*. Hancque partitionem obiter animadvertendum non rebus tantùm consistentibus aut naturis, sed fugacibus etiam earum accidentibus et modis congruere: ut in omnibus quæ ab Aristotelicis, Platonicis, cæterisque philosophorum scholis distinguuntur entis prædicamentis, *entia* inveniantur *realia*, quæ scilicet in seipsis aut existant aut possint existere, et etiam rationis entia, quæ eà solà ratione entia aut res existentes vocari solent, quatenùs cognoscuntur; cùm tamen aliunde neque intùs in intellectu, neque extra ipsum, ullum verum *esse* veramque alicuius rei naturam obtineant, neque hoc sensu quidquam sint aliud quàm merum *nihil*, nullo scilicet modo sint. Illud verò consideretur oportet, inter has notiones, *esse* videlicet aut *existere* et *non esse* aut *non existere*, facili ratione ab humano intellectu concipi aliam intermediam quæ ex eo quòd res quæcumque existere possit desumitur: quo fit ut philosophi res non existentes inter possibiles et impossibiles partiri consueverint; deque possibilibus id asseverare soleamus, ut licèt earum existen-

tia *realis* non sit, realis tamen sit eorum essentia aut natura, eâ potissimùm de causâ quòd cùm existat Ens infinitum aut alia Intelligentia humanâ infinitè superior, natura possibilis existens in se ipsâ futura sit, quotiescumque Deo aut infinitæ Intelligentiæ illam ex nihilo suæ existentiæ, in quo perseverante possibilitatis statu consistit, ad existentiæ lumen revocare placuerit ».

31 « Obiter autem observemus oportet tribus saltem diversis rationibus infinitam inter *esse* et *non esse*, aut nihil inter et rem veram, interiacentem distantiam à Deo seu ab infinitâ Intelligentiâ debere superari : quibus nempè fiat, ut res ipsa ex eo statu in quo possibilis est aut futura, ad existentiæ statum transferatur ; ut res in definito quodam loco certove temporis momento existens, in eo ipso loco momentoque existere desinat, aut ad eum statum transeat in quo nec in eo loco aut temporis puncto existat ; ut denique res non certo in loco certove temporis puncto existens, ad existentiam in eo ipso loco temporisve momento obtinendam adducatur. Qui quidem tres sunt transitus à non esse ad esse, aut ab eo statu in quo res aliquid reverà est ad nihilum ; tres scilicet transitus infinitæ distantiæ, quæ non nisi ab Intelligentiâ infinitâ potestate præditâ superari potest ».

32 « Quamquam verò novisse videantur philosophi primum motorem primamve causam, ex se se aut ex suâ naturâ *intelligentem* esse debere, aut *intelligentiam* primum futuram cuiuscumque rei et

operationis aut motûs fontem aut originem : ipsi tamen de arctissimis *humanæ intelligentiæ* limitibus conqueri solent ; aut qui magnificentiùs eiusdem vires aut efficacitatem extollunt, res quidem paucissimas easdemque veras aut naturales in medium afferunt, quæ nostræ intelligentiæ effectus esse videantur. Est equidem rationalis animi vis aut intelligentia in moliendis aëreis arcibus, aut in effingendis rationis entibus efficacissima simul et fœcundissima. Nam si hominis intelligentia eà qua viget Deus efficacitate polleret, qua nempè rebus à seipso cognitis existentiam, *realitatem*, aut veram entium rationem præbere posset ; una dumtaxat matutina meditationis hora satis superque nobis esset ut pulcherrimis ædificiis urbibusque vastissimos terrarum tractus, egregiis statuis earum plateas omnes et vias, gemmis, cælatis operibus, miniatis signis, cæterisque exquisiti operis artificiis promptuaria amplissima repleremus. At verò nostra intelligentia non nisi iis notionibus aut imaginibus *esse* verum aut reale tribuit quibus res ab eàdem excogitatæ exhibentur, puris scilicet rationis *entibus*, quin rebus exhibitis ullum esse reale tribuat : eas nimirùm in mero nihili statu relinquit, absque ullà aliâ rerum verè existentium ratione, præter eam quæ à nobis concipitur in cognitione finitæ intelligentiæ : quæ quidem ipsa cùm è nihilo educta in lucem fuerit, nullam prorsùs neque ad existendum, neque ad agendum efficacitatem quam non ab alio receperit, habere potest».

« Aliunde neminem quidem esse crediderim, qui humanæ intelligentiæ, tamquam proprios ipsi effectus, varios adscribat humanos actus, quibus parentes humanæ speciei propagationi, singuli verò homines suæ vitæ conservationi incumbunt : ad quos quidem edendos effectus suo conspirat influxu rationalis animus vi portentosissimi illius *mysterii*, quod nobis in mutuo consensu animi et corporis cuiusque hominis naturali lumine rationis exhibetur : suo inquam conspirat influxu, qui sanè licèt densissimis tenebris, naturali intelligentiæ nostræ aciei omninò imperviis, immersus lateat, re tamen verà existit; idemque non minùs de Intelligentiæ infinitè potentis et efficacis existentià nos efficit certiores, quàm illa naturalia duo mysteria quæ de infinità divisibilitate et materiei per universum spatium diffusæ et temporis per intervalla excurrentis nostros ob oculos obversantur. Quamobrem ii philosophi qui eò adducuntur audaciæ, ut præter spiritualium creaturarum aut corporearum seriem, nullam *rem* asseverent esse intelligentem, aut non esse Intelligentiam æternam, quæ cùm infinità potentià prædita sit et immota perseveret, universa quæ existunt, sunt et agunt, existentià, efficacitate aut existendi agendique virtute donaverit, donandoque perpetuò prosequatur; ii inquam philosophi, quanam rogo probabili ratione exponent, quodnam id esse possit impulsionis genus quod et corpus spiritui, aut spiritus corpori possit imprimere? Qui fieri potuisse concipient, ut in totà infinità rerum

serie ipsarum ulla inceperit operatio, cùm in earum singulis ab initio interiecta *nihilum* inter et *esse* infinita distantia superanda supersit? Quomodò localis motus absque motore prorsùs immoto, qui illum perfecerit, accidere potuit? Quomodò quæ res ab aliâ existentiam acceperit, ea in *dandâ existentiâ* prima extiterit? Quomodò tandem res ulla quæ existentiam non acceperit, quin ipsam ex se se aut ex propriâ suâ naturâ possideat eandem habere unquam potuerit?»

---

33 *Quarta nox.* Nimio quidem æstu in disputando excandescere visi fuerunt philosophicarum scholarum procuratores; idque etiam animadverti licuit, eos qui ferventiùs aut etiam furiosiùs disserebant nonnullos esse philosophos qui ex Divini cultûs ministris aut ex potestatum civilium procuratoribus in medium certamen prosilierant. Sed cùm iam demum in mediam noctem ventum fuisset, apertâ conventûs sessione, et commemoratis à Relatore quæstionibus in quas antecedens desierat expositio, ita iste est prosecutus: «Equidem solvendis huiusmodi quæstionibus commodior locus nullus eligi poterat, quàm famosæ Palmyrenæ ruinæ, ubi in mediâ scilicet vastissimâ solitudine nunc mortalibus inhospitâ, humanæ intelligentiæ portenta, quæ ad ætates et loca à se invicem longè dissita pertineant, admiranda nostris oculis exhibentur. Si quis nostrûm id fortè contenderet, in his scilicet columnis quæ plurimis

« abhinc seculis, à lapidicinis unde erutæ fuerant, « huc usque tam vario artificiorum, machinarum et « instrumentorum genere quæ omnia humanæ in- « telligentiæ inventa extiterint, advectæ, elaboratæ, « perpolitæ, erectæ; in tantà cælatorum numisma- « tum copià quæ per universum terrarum orbem « sparsa sunt; in iis imaginibus virorum illustrium, « quæ miræ firmitatis lapidibus exhibentur incisæ « tamquam totidem potestatis ipsorum aut sapien- « tiæ monumenta; et in tot denique tantisque aliis « humanæ industriæ memorandis inventis, quæ « pedibus nostris calcamus, quæque tanta avidita- « te in ruderibus atque ruinis quibus obvoluta ia- « cent inquirimus, nullum prorsùs præcedentis hu- « manæ intelligentiæ argumentum, nec nisi fortui- « ti casûs, pluviarum, ventorum aut naturæ legum, « quibus materia obtemperet, effecta inveniri; si « quis inquam istà ratione dissereret, nonne ipsum « in amentem hominem evasisse iure meritò dicere- « mus? Equidem iure meritò.

34 « Verum ulteriùs progrediamur, rogemusque « an sibi invicem succedentium hominum, planta- « rum, arborumque operationes, quas in universà « corporeà naturà animadvertimus, ita fortuitorum « eventuum effecta esse potuerint, ut quæ ipsas « in suo cursu dirigat ad perfectamque maturitatem « adducat, nulla prorsùs necessariò interesse debeat « humanà infinite superior Intelligentia? Nisi quæ- « dam existat Intelligentia quæ primævæ glandi aut « quercui incredibilem efficacitatem indiderit, eam-

« demque tam in illà, quàm cæteris in quercubus
« aut glandibus succedentibus sartam tectamque
« servet; qui quæso fieri potuit, ut ex unâ tantùm
« glande insensibilis suâ exiguitate planta erum-
« peret, quæ postea in proceræ magnitudinis quer-
« cum evadens, innumeras quibus infiniti mundi
« repleri possent glandes produceret? Nisi aliqua
« sit POTESTAS OMNIPOTENS quæ perpetuò *nihilum* in-
« ter et *existentiam* cùm totius quercûs, tum singu-
« lorum ipsius ramorum, frondium, glandium in-
« teriectam vincat infinitam distantiam; quomodò
« vel una tantùm accidere potuit ex innumeris mu-
« tationibus aut motibus, quibus unumquodque ex
« infinitis *totis*, singulæque istorum partes à se in-
« vicem sensim divisæ, ab *esse* ad *non esse*, aut à
« *non esse* ad *esse* transierunt, interque res in de-
« signatis et locis et temporibus existentes consti-
« terunt?

« Facili quidem negotio recta ostendit ratio Deum,
« aut veram DIVINITATEM, primum esse motorem im-
« motum, qui nihil amittat aut adquirat denuò, ne-
« que dum res ipsas primâ creatione educit ex nihi-
« lo, neque dum res iam creatas singulis quibusque
« temporis momentis singulisque spatii punctis ita
« adiungit, ut simul cum ipso aut causæ sint, aut
« mera dumtaxat instrumenta. Omnia planè non nisi
« magnis assiduisque rerum effectarum immutationi-
« bus contingunt, quæ aut in suà ipsarum *naturâ* aut
« esse, et in *accidentibus* aut habitibus, actionibus
« aut moribus sive constantibus sive transeuntibus

« fiant ; quin tamen ipsi Creatori ulla vel minima « cuiuscumque generis accidat immutatio ».

35 Cùm finem dicendi fecisset Ponens, ita locutus est Senior: « Non equidem *arbitri*, sed in re meæ « iurisdictioni subiectà *iudicis* functurus officio, ita IN « QUARTA SANCTIONE pronuntio : *Naturalem scilicet « intellectûs humani rationem, dum suo lumine non « mente captis hominibus propriam ipsorum, aliorum « hominum, cæterarumque rerum quæ mutationi par- « titionique subiiciuntur, existentiam declarat, ad id « etiam illos constringere, ut certissimum habeant « nihil earum omnium rerum posse existere, quin « aliqua prius existat* ENS *intelligens, ex propriâ suâ « naturâ existens, quæ infinita sit, omnipotens, « quæque unoquoque momento temporis, et in quo- « libet loco intercedentem* nihil *inter et* esse *infini- « tam distantiam superare queat* ».

36 Promulgatà affixàque ut moris erat hac sanctione, ita prosecutus est Ponens : « Nonnullæ etiam « decidendæ quæstiones supersunt, quarum declara- « tio ad generalem hominis intelligentiam aut ad na- « turalis rationis lumen proprio iure pertinent. Qua « de causà per plures aliquot dies continuentur opor- « tet quæ in variis philosophorum scholis de ob- « scuris illis quæstionibus versari aut disçuti solent, « quæ rationalis naturæ, aut naturalis rationis lumi- « nis *mysteria* iure meritò vocari possunt. Maximè « verò hæc duo discutienda occurrunt : Et primò « quidem, utrùm hominis animus vi propriæ suæ « naturæ, aut naturalis alicuius inclinationis impul-

« su cum ipsius corpore coniungatur; an verò spi-
« ritus sit qui in corpus, tamquam reus in carcerem
« detrusus, admissi priùs sceleris pœnas luat; an
« tamquam navis gubernator ad clavum sedens,
« baiulive in gigantum simulachris eadem gestaturi
« latitantes. Deinde verò utrùm corporeorum sen-
« suum usus aliquam animo exhibere possit com-
« modam iucundamque exercitationem, qua hominis
« beatitudo aut felicitas tam modò dum inter vivos
« agit, quàm in eo vitæ genere quod mortem con-
« sequitur, augeatur ».

37 Atque his quidem conventui illi finis impositus. Procuratores verò variis in scriptis quæ in throni gradibus extabant diversas indicatas à Relatore invenerunt philosophicas quæstiones, in quibus discutiendis diem tererent, inque iis præcipuè quæ in entis finiti et Infiniti, spiritùs et corporis differentiis versantur; et in naturali veroque discrimine quo tres spiritales naturæ, *Deus* videlicet, *angeli* aut genii, et *humanus animus* à se invicem necessariò distinguuntur. In quodam verò ex iis scriptis hæc legebantur: « *Deus est intelligentia cuius natura aut* ESSE, *et existentiâ et potestate et libertate est necessariò infinitum*; quo fit ut quæcumque intelligentia Deus non sit, ex suæ ipsius naturæ necessitate finita aut suis limitibus circumscripta esse debeat. Deus infinitâ suâ naturâ omni prorsùs ratione immutabilis est; cùm sua ipsius infinitas in causâ sit, cur nihil nec quoad res aut substantias, nec quoad modos aut accidentia, nec quoad tempus

aut perennitatem, nec quoad locum aut tempus, nec quoad locum aut spatium ex illo adimi, nec eidem possit accedere. Genii aut *Angeli* suâ naturâ spiritus sine corpore sunt; quo fit ut cùm locum non occupent ratione suæ naturæ, non mutationis capaces sint quantum ad locum; contrà verò mutationi obnoxii sint quantum ad tempus, cùm diversis temporibus existant, quin necessariò existere per omnia temporum intervalla debuerint. Itaque Deus aut Intelligentia quæ ex suà ipsius naturâ est, nunquamque potuit non esse existens, infinita et immutabilis, dum et immota et immutabilis in se ipsâ consistens omnes perficit motus aut immutationes, quæ rebus corporeis duobusque creatorum spirituum generibus, quantum ad esse, tempus spatiumque contingunt; continuos ex non esse ad esse, et ex esse ad non esse transitus efficit, quos universitatis rerum, aut totius, aut partium singularum optimus ordo postulare videatur ».

38 Non sine maximâ quidem occupatione et iucunditate diem illum exegerunt procuratores, dum varias vetustiorum scholarum opiniones, inventa et progressus cum iis quæ super indicatis à Relatore quæstionibus ab scholis recentioribus exhibentur, compararent. Quidam citatus fuit ex iis in quibus rectæ naturalis rationis lumen clarius splendescere visum est romanus philosophus; qui id in suis consignatum reliquit scriptis, neminem scilicet ægrotum quidquam de naturâ Deorum somniasse tam infandum aut tam absurdum, quod non ali-

quis dixisset philosophorum. Cùm verò vetustiores et græci et romani adversùs recentiores materialismi et atheismi scholas vehementiùs inveherentur, id nempè contendentes ipsas, licèt maiori luminum copiâ deceptionumque experientiâ quibus invenire possent veritatem instructas, in monstruosiora tamen præ antiquioribus aberrase deliramenta; nimio abripi se æstu sinebant, incandescebantque ipsorum animi: ulteriùsque progressi fuissent, nisi se coram ipsis stitisset peritissimus quidam mathematicus, qui eisdem diversa proferens ex recentissimis microscopia et telescopia, vetustiores omnes philosophos inopinâ iucundâque novitate occupavit, dum ignotum mundum qui eorum oculis elucebat stupore correpti mirarentur. Collata modò fuit telescopii vis cum microscopii efficacitate; quorum ope in optimo ordine quo naturæ Auctor tam maxima quàm minima quæque in immensâ universarum rerum naturalium vastitate constituit atque conservat, INFINITA eiusdem SAPIENTIA ipsis mirabiliter demonstrata apparuit.

Tunc verò ex ægyptiis philosophis quidam, qui maximam vitæ suæ partem in alto puteo demersus egerat, astrorum cursum per imminentem capiti suo cœli partem transeuntium meliùs cogniturus; horribili voce, tantâque securitatis spe quasi mathematicæ alicuius demonstrationis inventum afferret, ita sermonem instituit: « Nullâ prorsùs ratione « se se à veræ amentiæ notâ purgare valent ii qui post « recentiora ista inventa nullam aliam præter homi-

« nis intelligentiam, nullamque aliam DIVINITATEM
« in mundo esse contendunt præter infinitam genio-
« rum aut humanorum animorum seriem: qui quidem,
« sibi invicem succedentes, id quod DIVINITATEM aut
« Deum æternum appellare consuevimus, et infini-
« tâ ad cognoscendum et ordinandum intelligentiâ,
« atque ad agendum vi, efficacitate et potestate vi-
« gentem, efficiant ». Vix finem dicendi fecit, subitò communis ex alterâ parte plaudentium, ex alterâ verò improbantium insonuit clamor. Verùm id percommodè accidit ut iam ad mediam noctem ventum esset: tumque ignea illuxit columna, qua in suo throno magnus *Genius*, Relator in illius gradibus, universusque cœtus, facto silentio, se se conspicuos præbuerunt.

---

39 *Quinta nox*. Silentium primus rupit venerabilis Senior præses, meritis laudibus zelum efferens priscorum philosophorum qui recentiorum impietatem et atheismum improbaturi insurrexerunt. Verùm hæc addidit verba: « Attamen vos, inquit, præ-
« monitos velim, ad veram nempè Divinitatem aut
« verum Deum in individuâ suâ naturâ agnoscen-
« dum nullo prorsùs opus fuisse nec microscopio-
« rum nec telescopiorum auxilio. Si unam duntaxat
« glandem penitus inspiciamus, eandemque cum
« quercu ex qua decidit, et cum infinito quercuum et
« glandium quæ ex iis oriri possunt, numero com-
« paremus, hæc quidem investigatio et comparatio
« satis superque erit ut recta ratio uno tantum lu-

« mine naturali instructa evidenter agnoscat, *Ens* « illud, quod in glande punctum quoddam tantâ præ« ditum efficacitate constituit ut vim istam incredi« bilem in tam vasto et temporum et locorum spatio « explicaret, illud ipsum esse *Ens* necessariò existens, « et intelligentiâ et potestate nullis limitibus defini« tâ plenissimum : quibus unicus est Effector qui « omnia, quibuscumque temporibus, quibuscum« que in locis, in omnibus infinitis seriebus in ge« nera aut in individua corpora infinitè divisibili« bus, in proprio ipsarum rerum esse, duratione, « et loco in quo consistunt, creat aut efficit : quin « aliquid sit ex iis quod actu *infinitum* vocari queat, « cùm tamen infinita sit incrementorum imminutio« numque series, quorum capaces sunt omnes series « numericæ aut continuæ *entium* quantitates, quas « ENS unicum, æternum, immutabile, et primus Ef« fector aut verus Creator è nihilo potest educere.

4o « Attenta consideratio infinitæ distantiæ quæ « inter *esse* Dei creatoris et *esse* creaturarum, et « inter humani animi naturam et belluarum ani« mas, aliarumque causarum corporearum à qui« bus quamplurima effecta aut motus perficiuntur, « naturas interiacet; homini ratione utenti sufficit « ut primam præcipuamque naturalis philosophiæ, « aut investigationis naturalium causarum, veritatem « agnoscat : quæ quidem in eo consistit quòd uni« ca vera causa efficiens aut quæ universa perficit, « PRIMA CAUSA sit aut Deus effector; cuius in ma« nu creaturæ quæ *causæ secundæ* vocari solent,

« totidem sunt instrumenta quibus ad aliarum pro-
« ductionem utitur ; quamdam ipsis virtutem indens,
« efficacitatem aut vim, qua, prout CAUSA PRIMA
« universali impulsione suà disposuerit aut sanxerit,
« ad illarum etiam procreationem, conservationem,
« motum, perfectionemve concurrunt.

« O vos philosophorum scholæ, nationes, im-
« peria, respublicæ et omnium seculorum univer-
« sique terrarum orbis religiosi cultus; vosque etiam
« singulæ philosophorum aut sapientûm virorum,
« politicorum aut civilium regiminum, vel religionis
« aut Divini cultùs societates ; et vos denique sin-
« guli earum societatum homines sive magistri sitis
« an discipuli, subditi an imperantes, sacerdotes
« an simplices fideles, omnes vos id certissimum
« habeatis oportet, ENS nempè æternum, omnipo-
« tens, infinitum, rerum omnium effectorem con-
« servatoremque, non ideò hominem intelligentià
« belluarum instinctui præcellente, cum rerum na-
« turalium cognitione coniunctà ornasse, ut quid
« Divina Bonitas atque Omnipotentia præstare va-
« leant, nec quid ipsius Iustitiæ congruere videatur,
« nec qua ratione imperare hominibus debeat, cu-
« riosà vanitate perscrutaremur. Nam certissimè rec-
« tà ratione docemur, in rerum naturalium cursu
« sine intermissione innumera exhiberi nobis admi-
« nicula, quibus infinitam Dei potentiam eiusdem-
« que erga nos bonitatem agnoscamus, simulque
« ingentem luminum et impulsionum copiam, qui-
« bus ad Dei cognitionem amoremque illustretur

« mens nostra et dirigatur voluntas ; quin et eodem « tempore, quas nobis ope sensuum comparamus « notiones, omnesque nostri corporis naturales « impulsus, cupiditates aut propensiones in id « ut magis magisque Dei cultui adorationi atque « servitio navemus operam, conferendas sciamus.

41 « Hac generali philosophiæ notione, aut co- « gnitione causarum multarumque consecutionum « quæ obviam nobis fiunt ex illâ derivatæ, evidenti « demonstratione conficiuntur nonnullæ præviæ san- « ctiones quas iam iam affixurus sum, anteaquam « ad controversiam de arbitrarià sententià, cuius « desiderio in hunc famosarum ruinarum locum « convenistis discutiendam progrediamur ». Deinde verò ad Relatorem conversus *Genius* thronum oc- cupans, hæc addidit : *Scribe :* — QUINTA SANCTIO : *Hominis animus ratione naturæ quam ipsi indidit effector Omnipotens, corpori copulatus adhæret ; quo fit ut animus naturali suâ propensione versus corpus feratur, inque huiusmodi copulatione ipsius status naturalis consistat. Veruntamen cum animus spiritus sit, eâ viget etiam efficacitate atque vir- tute qua seipsum conservet, et solus sine corpore perseveret ; et eas præterea quas sibi prius ope sen- suum comparaverat notiones retineat : eas enim in seipso aut in intellectus sui memoriâ servat ideas aut rerum similitudines, quæ illarum, quas olim in sensuum reminiscentiâ aut memoriâ conspexerat, totidem sint exemplaria aut imagines et quidem perfectiores, illæ verò præcipuè quas propriâ suâ*

efficacitate suisque viribus sibi cudit ipsa rationalis intelligentia, quo in numero recensentur abstractio, comparatio, coniunctio et illatio.

42 Sexta sanctio : *Dum animus cum corpore coniunctus persistit, sensuum istius usus aut exercitatio quamdam exhibet humanæ intelligentiæ occupationem, quæ et maximè naturalis semper est, et uniti cum corpore spiritûs naturæ apprimè consentanea; quæque modò iucunda atque suavis, modò verò doloris afflictionisque plena existit. Quotiescumque verò iucunda affectio sit, bona; mala verò cùm iniucunda fuerit vocari solet : verùm affectionum aut sensationum et bonitas et malitia fusiùs datâ operâ ostendantur necesse est.*

43 Séptima sanctio : *Cùm humanus animus corpori copulatus adhæret, violentissimas in istius sensibus membrisque cæteris affectiones nunc à* generalibus naturæ causis, *ventis scilicet irruentibus, terræmotibus, alluvionibus et tempestatibus incussas experitur; nunc verò ab aliis, quæ peculiares sunt et individuæ, cuiusmodi sunt ingens aliquod saxum super hominem illapsum, tigris illum discerpens, alius homo qui ipsum catenis compedibusque constringat. Huiusmodi sanè generalium particulariumque causarum violentiæ eò usque sæpè feruntur, ut cerebri constitutionem pervertant, qua animus dum corpori coniunctus existit cognoscendi efficacitatem, suæque voluntatis facultatem exercet; idque eâ ratione, ut humana intelligentia, aut humanus animus quo tempore nonnullis utitur crescen-*

di aut vegetandi, sentiendi, vivendique facultatibus, nullam quæ ad vitæ rationalis naturam pertinet adhibere videatur. Quandoque accidit ut dormiens homo auditûs tactûsque utatur sensibus, cùm ipsum à somno excitet ingens strepitus aut cauterium, quin tamen aliquid aut agnoscat aut velit aut affirmet aut neget aut amet aut aversetur. Ita quidem contingit aut in profundo somno aut universali stupore, qui è variis ægritudinibus causisve naturalibus consequuntur. Quandoque animus et cognoscit et vult; veruntamen propter sensuum perversionem nec res cognitas inter se conferre potest, nec quæ eisdem insint bonas malasque qualitates mente evolvere; et ut uno complectar verbo, nullum prorsùs eorum actuum quibus perficitur DELIBERATIO *edere potest.*

44 OCTAVA SANCTIO : *Sæpissimè animus in suorum sensuum exercitatione variisque cæterorum artuum corporis usibus, vero utitur libero arbitrio aut verâ physicâ libertate; ut cùm aperit oculos, brachium attollit, aliquos passus conficit, huc illùc oculos vertit prout et quando voluerit, et forsan eâ tantùm de causâ quòd ita ipse voluerit : atque id quidem est physicâ,* reali *aut verâ quam dicunt libertate agere. Istâ profectò utitur semper in propriis rationalis aut deliberantis suæ voluntatis actibus. Nam dummodò ita rectè se habeat cerebri vel capitis constitutio, ut propriis rationalis animi efficacitatibus, facultatibus aut viribus uti possit, quamvis cum corpore cuius societatem naturali im-*

pulsu appetit coniunctus sit, nulla est nec exterior, nec interior ipsius corporis vis, nulla violentia quæ voluntatem ad amandam aut aversandam rem aliquam designatam, nec ad amandum quod amare, nec ad id quod aversari noluerit aversandum cogere valeat. Cum intellectus aut bonum infinitum quod evidenter agnoverit, aut universale bonum aut bonum generatim voluntati proponit, hæc ad illud amplexandum necessitate constringitur; eâ ferè ratione qua oculi eos qui sibi obiiciuntur colores sufficienti luce perfusos intueri necessariò coguntur: omnis enim naturalis potentia in persequendo proprio sibi fine naturam ducem necessitate compulsa sequitur. Verum quemadmodum voluntas physicè *aut suâ naturâ ad non intuendos eos colores, quos ante oculos fulgente luce positos habet, libera est; cùm scilicet oculos occludere possit, aut eos aliò ubi non adest id quod intueri recusat convertere; ita etiam quandocumque et prout sibi placuerit, quodcumque particulare aut designatum bonum amare desinit, quotiescumque ex huiusmodi bono ad aliud sibi propositum, licèt istud efflictum dumtaxat aut lubricum fortasse fuerit, intellectum transferre potest. Adeòque physicâ, verâ et naturali ad Deum, infinitum scilicet bonum, non diligendum libertate prædita est; dum nempè non eum ut in seipso est clarè agnoscit: tunc enim suum intellectum avertere à Dei contemplatione potest, illumque in ea quæ insunt creaturis finita et sæpissimè falsa aut inania bona revocare. In summâ :* Hominis animus aut humana

intelligentia suâ ipsius naturà in omni deliberationis genere LIBERA NECESSARIÒ EST.

45 NONA SANCTIO : *Ex physicâ humani animi libertate suam ducunt originem, moralia ipsius officia: homo enim rationalis suæ naturæ vi, suam ipsius voluntatem ad rectæ rationis normam ita debet exigere, ut ad agendum quod fieri ratione iubetur, modò id præstare potuerit; atque ad omittendum quod ipsa recta ratio prohibeat aut non faciendum præcipiat, dummodò abstinere ab eo potuerit, teneatur. Quamobrem filius manibus pedibusque constrictus aut detentus carcere, cùm ad præstandum id quod sibi à patre imperetur* physicâ libertate *careat, nullâ sæpè ad obtemperandum lege compellitur.*

46 DÉCIMA SANCTIO : *Ex humani animi physicâ libertate officiisque moralibus illud futurum esse consequitur, ut ipsius actiones aut bonæ sint aut malæ, morali nempè bonitate aut malitiâ: eò quòd animum ad obtinendum constitutum sibi à naturâ suâ finem disponant, tuncque* bonæ *quidem; aut ad illud impediendum, tuncque* malæ *vocari solent.*

47 UNDÉCIMA SANCTIO : *Cùm Deus homini animum physicâ libertate præditum, moralibusque officiis subiectum condiderit, illum eâ de causâ ad præmium aut supplicium promerendum idoneum expeditumque effecit. Cùmque ille ipsa sit Bonitas et Iustitia, fieri nullatenùs potest quin et præmio bona opera, mala verò supplicio pro ipsorum bonitate aut malitiâ prosequatur. Ex qua quidem evidenti*

veritate, nonnullæ aliæ consequuntur perspicuè demonstratæ, quas præ oculis haberi oportet. Atque ut hoc utar exemplo: Nefas est cogitare Deum, *seu infiniti effectoris conditorisque Providentiam, neque bonas malasque hominum actiones peculiares, neque humanorum animorum singulare meritum aut indignitatem considerare. Perspicuum enim est humanos omnes animos, qui è nihilo emerserint emergentve, atque in existentium rerum universitate, alicui corpori copulati consistent, finem sibi à naturâ propositum nisi id* Deus *iustâ de causâ vetuerit, consecuturos. Maximè verò novit humana intelligentia,* Deum *cùm æquâ ratione* infinitæ *sint ipsius et misericordia et iustitia, maiorem tamen erga humanos animos misericordiam ipsos è nihilo educendo explicuisse: poterat enim eos absque ullo misericordiæ et iustitiæ suæ detrimento in statu, ut aiunt, relinquere* meræ possibilitatis. *Atque hinc recta hominis ratio conficit,* Deum *bonos quos condidit condetque animos amplioribus quàm pro meritis cumulaturum præmiis; ipsorum verò nullum pro debitâ severitate puniturum, plurimis autem veniam concessurum, aut perinde acturum esse cum illis quasi in re nullâ peccassent ex iis quæ lege naturali aut rectâ ratione præceperit.*

48 Duodécima sanctio: *Recta naturalis ratio, legitimâ iudicis auctoritate functura, in re suæ propriæ iurisdictionis declarat: Hominis animum, præter huiusce præsentis vitæ statum in quo corpori quod humanum appellamus copulatus existit, iam an-*

tea vivere debuisse aut in alio deinde persliturum statu, in quo beatitate aut fine ad quem ipsum ducit aut præparat natura, qua istam condendo aut è nihilo educendo illum Deus donaverat, perfruatur; ac præterea, consentanea iis quæ in mortali hac vitâ benè vel malè gesserit, aut præmia recipiat aut supplicia. Utrùm verò huiusmodi status hanc vitam antecesserit, an consequatur; utrùm cum corpore coniunctus, an ab istâ coniunctione secretus victurus sit; utrùm cum hoc eodem corpore redivivo perseveraturus, an ex aliis ad alia diversorum hominum seu generum animantium corpora migraturus; hæc et alia sexcenta huiusmodi de quibus dubitatur, eadem naturalis ratio ab omnipotenti ENTIS *illius ex se se conditoris, qui* è nihilo naturas omnes educit, *libertate repetendas esse declarat. Neque verò contraria alicui naturæ aut violenta, immò potiùs non nisi maximè naturalis esse potest ea propensio, quam eidem ipsam è nihilo eliciendo Omnipotens Deus ingessit. Nam perspicuum est nec inter substantias aut naturas quarumcumque creaturarum, nec inter corporum spirituumque vires aut efficacitates, actiones aut motus ullum posse discrimen, distantiam aut oppositionem ullam intercedere, quæ cum infinitâ* inter esse *et* non esse *distantiâ conferri valeat; inter* nihil *inquam et* rem existentem, *quæcumque demum sit ex hisce tribus rebus in qua existit,* realitate *scilicet* tempore *et* spatio : infinita *enim reperitur distantia, ideòque ab* infinitâ *vi aut potentiâ tantummodò superanda.*

Huc usque, istarum *Meditationum* illustrissimus auctor; qui eas perficere morte præveniente non potuit.

49 Et ita quidem catholicus piusque scriptor, luminis naturalis veritates præcipuas et quæ ex iis invictâ ratiocinatione derivantur consecutiones, deliramentis obiiciebat quibus philosophus Volneius inani quodam falsæ eruditionis apparatu, tum fucatis ementitisque eloquentiæ coloribus, sed nullis principiis, nullâ argumentatione, nullo exemplo, nullâ auctoritate, nullâ probabili ratione religionem ipsam naturalem, præcipuè verò christianam catholicam evertere contendebat. Nimirùm reiectis pseudo-philosophus iste omnibus dialecticæ regulis, omnique investigandæ et ostendendæ veritatis studio, duo sibi animo finxerat tanquam certa principia, quæ totidem essent impii sui commenti veluti fulcra: *nullum scilicet* DEUM *existere, aut* PRIMAM CAUSAM *intelligentem* quæ mirabilem hanc rerum universitatem condiderit, hominique leges et moralia officia propositis præmiis suppliciisque iniunxerit; deinde verò *humanos animos resolutâ corporis compage perire*, nihilque prorsùs ex toto homine ad præmia vel supplicia recipienda post obitum superesse.

50 Quæ quidem duo principia eò firmiùs stabiliri et evidentiùs demonstrari oportuisset, quò certior ab omnibus omninò populis à primævâ mundi origine habita fuit de *primæ causæ* DIVINITATE, deque *animi humani* IMMORTALITATE sententia: maximè verò cùm ad sanctissimam IESU-CHRISTI Ecclesiam

amplissimum aperiant aditum naturales illæ duæ veritates, quibus asseverat Apostolus *oportere accedentem ad Deum credere* QUIA EST, *et quia inquirentibus se* REMUNERATOR SIT; quasque magnificis hisce carminibus complexus est Cardinalis Polignachius in suo *Anti-lucretio*:

Quapropter geminis Religio nostra columnis
Nititur; esse Deum iusti verique tenacem,
Esse animos nullo perituros temporis ævo.

51 Has itaque duas veritates et invictâ ratione demonstravit et inconcussè stabilivit catholicus scriptor; easdemque contrariis obiecit principiis quæ, licèt falsissima semper et à communi omnium sensu aliena habita fuerint, à Volneio tamen posita sunt tanquam unica impii sui operis fundamenta. Quod quidem ut firmâ ratione consisteret, quatuor hæc incredulus philosophus evidenter ostendere debuisset: 1° non existere scilicet Deum: 2° humanos animos unà cum corporis morte resolvi: 3° mirabilem hanc mundi fabricam aut à totâ æternitate extitisse, aut à cæco materiei conflictu nullâ ordinante causâ exortam: 4° hominis demùm intelligentiam à solâ corporis ipsius constitutione repetendam. Cùm verò nihil horum Volneius præstiterit, immò nec præstare potuerit; (quomodò enim, ut cætera prætermittam, mundum ex se se æternum esse aut ex æternâ materiâ nullâ causâ efficiente erupisse demonstraret?) totum illud adversùs omnem Divini-

tatis cultum ædificium vel minimâ qualibet impulsione corruat, et inter absurdiora philosophorum deliramenta aut ægrotæ mentis somnia relegetur necesse est.

52 Quamobrem cum ex falsis incertisve principiis non nisi falsæ incertæque consecutiones oriri possint, nihil quod ad veritatem accedere videatur in toto illo commento reperire fas est; sed indigestam quamdam notionum ex historiâ, ex mythologiâ, ex astronomiâ, et ex absurdioribus populorum doctrinis mutuatam congeriem, eo perverso fine omnibus Divinitatis cultoribus exhibitam, ut christiana Religio maiori quàm absurdissimæ quæque superstitiones ludibrio despectionique subiiceretur. Itaque impiam Dupuissii *De origine cultuum* doctrinam seu potiùs fabulam adoptavit; qua sicut ridiculam ægyptiorum superstitionem ex naturæ effectibus, ex astronomorum observationibus, ex signorum zodiaci cum agricolarum pastorumque laboribus concursu, ex ipsorum ortu et occasu atque nominibus, ex annuâ demum per zodiacum Solis conversione derivavit; sic et Divinæ IESU-CHRISTI Religioni eandem assignavit originem. Ita ut Christus Dominus, cuius gesta, doctrina, portenta, crucifixio, mors, discipuli non Iudæam tantùm sed universum terrarum orbem Nominis ipsius gloriâ repleverunt, nihil sit aliud, Volneii sententiâ, quàm Sol duodecim zodiaci signa per totidem anni menses percurrens; ipsius verò ab ortu usque ad suam in cœlos ascensionem mysteria, tantummodò sint

eiusdem Solis per eum cœlestem circulum conversiones.

53 Atque ut nihil infandum relinquat quod in ægroti hominis deliramenta cadere possit, sanctissimam Iesu-Christi Matrem, signum virginis in zodiaco, duodecim verò Apostolos quos universum orbem peragrasse et Divini Magistri sui doctrinam prædicasse et particulares ecclesias condidisse et eas promulgatamque Evangelii veritatem sanguine suo signasse et scimus et omnes ferè nationes testamur; non veros homines fuisse asseverat, sed totidem tantùm mutuata è duodecim zodiaci signis vocabula. Ita cùm Iesu-Christi ortus, gesta atque doctrina, cùm Apostolorum per omnes ferè terræ nationes peragratio atque martyria, cùm totius Romani Imperii et remotissimarum gentium ad christianam religionem conversio, cùm Evangelii de coniuratis huius mundi potestatibus, de vanâ superbâque philosophorum sapientiâ, de violentissimis humani cordis affectionibus reportatus triumphus gesta magna sint, quorum strepitus non aures tantùm pervasit hominum, sed potentissima etiam tremefecit Imperia; vix fieri potuisse creditur eò furoris atque dementiæ adductum fuisse Volneium, ut contra tot tantorumque monumentorum lumen et contra clarissimorum etiam inter paganos historicorum fidem, earum rerum veritatem ad meras allegorias detorqueret, quibus nulla res alia causam præbuerit præter Solis cœlestiumque signorum per zodiacum conversionem, et ex eâ

derivatas fabulas mythicasque populorum traditiones.

54 Hac verò nostrâ tempestate, cùm et ars critica et quas *exactas* appellant scientiæ tantâ animorum contentione excoluntur, ut ad certitudinis et veritatis iura iis omnibus intercludatur aditus quæ non mathematicæ demonstrationis insigne præ se ferunt; eò mirabiliùs videri debet Volneium nullâ in re tanti momenti adhibitâ ratione pro verâ genuinàque *Ecclesiæ Catholicæ* imagine, Horatianum monstrum illud, ex diversorum animalium diversis membris nullo consensu, nullâ verisimilitudine secum invicem iunctis malè coagmentatum, spectatorum risui obiecisse. In quo sanè idem se se potiùs irridendum exhibuit, qui tam cœleste Divinumque spectaculum in absurdam et incredibilem fabulam ementitis coloribus contra omnem veritatis fidem traduxerit.

55 Falso huic turpique Ecclesiæ Iesu-Christi simulachro, eiusdem *Ichnographiam* ex adverso obiiciendam sibi proposuit catholicus scriptor: veram scilicet Ecclesiæ Iesu-Christi imaginem, quæ immortali Divini sui conditoris splendore, gloriâ et maiestate refulgens, non modò tota vera, tota pulcherrima, tota cœlestis mortalium omnium oculis appareret; sed tenebrosum etiam Volneii commentum infinitâ sui luminis claritate dissiparet. Et iam huic opusculo extremam imposuerat manum, cùm se se propositum sibi finem cumulatiùs assecuturum esse iudicavit, si nonnulla præmitteret Medita-

tionum titulo, quæ Volneii *Meditationi* aut eiusdem *de Palmyræ ruinis* somnio ex adverso opponeret: quibus nempè universo populorum sectarumque omnium cœtui expositis præcipua consignaret stabiliretque *naturalis rationis principia*, inane impii philosophi commentum invictà ratiocinatione deiiceret, ipsumque naturale lumen quasi facem attolleret, qua omnes omnium superstitionum sectatores ad revelatæ christianæ Religionis veritatem agnoscendam amplexandamque revocaret.

56 Quare hanc quidem naturalium veritatum demonstrationem seu *Meditationem* primam esse voluit totius operis partem, quæ ad secundam et præcipuam, ad *Ichnographiam* nempè, seu veram nativisque suis coloribus adumbratam Ecclesiæ Iesu-Christi imaginem, viam sterneret, atque amplissimum ad ipsam aditum populorum omnium cœtui reseraret. Quin et detersis iis quibus pseudo-philosophus ille et lumen naturale et ipsam Ecclesiam fœdavit coloribus, declaratà etiam superstitionum in quo omnes ferè populi aberrarunt absurditate, istorum considerationi et examini *Ichnographiam* subiecisset, in qua totum Ecclesiæ Iesu-Christi ædificium, singulas ipsius partes, exactam ad unguem earum compagem, consensum atque concentum ad trutinam revocarent, deque cœlesti ipsius prototypo sententiam ferrent. Neque verò fieri potuisse arbitrabatur pius auctor quin populi omnes aut ipsorum procuratores densissimas quibus immersi iacebant tenebras, cum naturalis rationis lumine,

deinde verò cum cœlesti Ecclesiæ Iesu-Christi splendore, gloriâ et immortalitate conferentes, Divinam ipsius originem et veritatem agnoscerent, proclamarent, amplecterentur.

57 Sed heu! Vix primas de Dei existentiâ, deque immortalitate animorum veritates earumque consecutiones, in eo sectarum omnium cœtu exhibuerat evidentissimâque ratione declararat, et fundamenta simul everterat quibus innititur impium Volneii commentum; assiduis fractus laboribus, ingravescente ætate, lethali etiam morbo ex quodam animi angore orto correptus, occubuit. Quamvis igitur hisce de causis primam hanc partem absolvere non ante obitum potuit; veruntamen id fortè paululùm antea providens suam in *Epistolâ nonâ et ultimâ ad Irenicum n.* 26 *et* 27 voluntatem declaraverat, idque muneris dilectissimo suo iniunxerat *Irenico*, ut quocumque in statu hasce *de Palmyrenis ruinis Meditationes* relinqui accidisset, Iesu-Christi *Ecclesiæ Ichnographiæ* adiungerentur. Quare ut piis Auctoris votis fieri satis possit, prima operis pars quamvis mutila aut manca simul cum *Ichnographia* in lucem edatur necesse est. Verùm id percommodè accidit ut quæ præcipua adversùs Volneium cæterosque incredulos philosophos in *primâ* hac parte demonstrare non licuit naturalis rationis dogmata, eadem ex Rosselli Ethicâ et Metaphysicâ mutuata ad *Ichnographiæ* calcem inveniantur.


58 Auctoris autem mira et christiana *humilitas*,

ardensque *veritatis amor*, quæ quidem in singulis suorum operum paginis vividè splendent, novissimè ad istius opusculi marginem, iterùm propriâ suâ manu, duobus ante obitum mensibus, consignata inveniuntur; et quidem postquam sæpè sæpiùs suo à secretis confessionibus pio gravique sacerdoti vehemens ingenitumque animi sui desiderium, in suis scriptis iam pridem expositum, ostendisset, ut à quovis etiam particulari, multòque magis à totius Ecclesiæ Catholicæ Romano Capite, sicut iteratò expoposcerat, quæcumque operum suorum vel minima etiam *propositio* aut simplex *verbum* sibi indicarentur quæ catholicæ fidei minùs consentanea fortè apparerent. Hæc verò sunt auctoris verba latinè reddita: » Christiani longævæ ætatis philoso-« phi qui inter famosas Palmyrenæ civitatis ruinas « ceu incola viginti abhinc annis considerari po-« test, MEDITATIONES istæ sunt; in quibus ad exac-« tam rectæ rationis normam aliæ pseudo-philoso-« phi *Meditationes* seu potiùs deliramenta perpen-« duntur. Atque sat quidem erit naturale humanæ « rationis lumen unà cum Divinæ revelationis radiis « quasi in foco speculi ustorii positis, Volneii deli-« ramentis obiicere, ut statim horum fatui fugacis-« que splendoris flamma prorsùs evanescere videa-« tur. Paucissima verò tantùm huius nostri opusculi « typis nunc edere oportet exemplaria: ut ita recep-« tis postea undique amicorum inimicorumque de « eodem et de *Ichnographiâ ipsâ* iudiciis, observa-

« tionibus, contradictionibusve, in lucem iterùm « prodire possint tam *Meditationes* quàm *Ichnographia*; distinctiùs exactiùsve expositis si quæ lec« toribus obscura appareant, emendatis quæ fortè « vera non sint, demptis aut additis quæ supervaca« nea aut deficientia inveniantur. Atque ita fiet ut « semper id quod magis perspicuum, simplex et na« turale sese offerat, omnibus iis quæ coacta, nebulo« sa, falsa aut peregrina appareant, à nobis præfera« tur: uti prudens sapiensque antistes Ill. Frayssinous « in suâ ad universos Parisiensis Academiæ profes« sores *Allocutione* die 16 Augusti istius anni 1824 « habitâ, vehementer hortabatur; sicut videre est in « Matritensi ephemeride, vulgò *Gaceta*, sub die « 29 eiusdem mensis et anni ».

59 Quod verò ad ipsam spectat *Ichnographiam*, animadvertatur oportet catholicum scriptorem cum fidei in perturbatis Americæ regionibus integritati consulere sibi in animum induxisset, et etiam hæterodoxorum oculis offerre spectaculum quod eorum animos ad considerandum Divinum Ecclesiæ Iesu-Christi ædificium pertraheret, operæ pretium facturum se esse existimasse si nonnullis scholæ præiudiciis indulgens, ut insigniores Ecclesiæ apologistæ præstare solent cùm ex iis nullum detrimentum capere possit catholica veritas, iis immortalis Bossueti, Cardinalis Bausseti aliorumque catholicorum Doctorum et doctrinis et opinionibus aliquando sed rariùs uteretur, quæ licèt non communiori

theologorum et canonistarum plausu acceptæ videantur, ex iis tamen opportuniora arma depromi posse iudicavit, quibus et Volneius et cæteri totius Catholicæ religionis infensissimi hostes prosternerentur.


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm